






SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO
ET
ECCLESIAE



20 gold

Ezra Abbot

JOAN. CHRISTOPH. FRIEDRICH.

PHILOS. D. ET LL. AA. M.

DISCUSSIONUM DE CHRISTOLOGIA SAMARITANORUM LIBER.

ACCEDIT APPENDICULA DE COLUMBA DEA SAMARITARUM

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCCXXI.

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

DOMINO

CAR. SIGISM. LIBERO BARONI
STEIN AB ALTENSTEIN

AUGUSTISS. BORUSSIARUM REGI AB ADMINISTRIS REGNI INTIMIS, SUMMO RERUM ECCLESIASTICARUM AC MEDICARUM IMPERII MODERATORI, INCLYTORUM ORDINUM, QUI AB AQUILA RUBRA ET FERREA CRUCE VOCANTUR, EQUITI, ILLIUS IN PRIMA, HUIUS IN SECUNDA CLASSE, ETC.

HUNC LIBELLUM

DE MESSIA SAMARITANORUM

ANIMUM GRATISSIMUM PRO MUNIFICENTIA

SIBI CLEMENTER IMPERTITA

TESTATURUS

D. D. D.

AUCTOR

LECTURIS

S.

Praeeunte Ven. Leonh. Bertholdto opinio apud nostrates invaluisse videtur, Judaeos recentiores seu Rabbinos Christologiam, placitum de Messia passuro et morituro quod attinet, iuxta Samaritanorum decretum Messianum corrupisse. Nam qui istam sententiam accurate examinaverit eamque idoneis argumentis refutaverit, ad hunc diem scio neminem. Igitur operae pretium me facturum sperabam, si in singulas partes dogmatis Samaritanorum Messiani accuratius inquirerem eiusque veram genuinamque indolem ac naturam secundum ipsorummet Samaritanorum testimonia describerem. Mea enim cum multum interesset nosse, utrum dogma de Messia morituro a priscis Judaeis, id est, a prophetis, an a recentioribus Samaritanis, Judaeorum Hierosolymitanorum desertoribus prophetarumque osoribus, originem duxerit, ut accuratissime mihi constaret, an Jesus, saluberrimae religionis auctor, semetipsum deceperit suosque discipulos vix credibili commento fascinaverit, eis dicens: *En ascendimus Hierosolyma et hominis nato accident plane omnia, quae sunt a vatibus scripta. Tradetur enim extraneis, et illudetur, et contumeliis afficietur, et conspuetur, et verberatus interficietur, et tertio*

die resurget [1]): summa, qua fieri posset, diligentia Judaeorum pariter ac Samaritanorum dogmata Messiana examinanda esse intellexi, ut appareret, a quibus Christologiae placitum, quod circa Messiae mortem versatur, profectum evulgatumque sit et num Jesu servatoris tempora antecesserit?

Quo utroque reperto, cum viderem, dogma Messianum Samaritanum, a Rabbinis veteribus aeque ac recentioribus traditum, a natura et indole Messiani decreti, a MARCHIBO seu MOPHARREDSCHIO, Jacobi filio, summo Samaritanorum pontifice, ante ducentos fere annos cum Anglis communicati, plane abhorrere: explorandum mihi superesse intellexi, cui in huius decreti expositione fides adhibenda sit, Mopharredschio, an Rabbinis? Et hac quoque re diligenter explorata apparuit, cum dogma Messianum Samaritanum a Rabbinis enarratum, commentum esse, a vero genuinoque decreto Samaritarum Messiano longe alienum: tum, locum Christologiae Samaritanae de Messia mortem oppetituro, ex priscorum Judaeorum dogmate Messiano, multo ante Christum natum, haustum esse, una cum ceteris decreti huius capitibus fere omnibus.

Ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, prout Theologiae studiosum decet, opportunas crebrasque occasiones, sententias aliorum scriptorum examinandi, qui, ut haec scribere potuerimus, viam, prout grati profitemur, nobis munierunt, diligenter evitandas fugiendasque duximus: nihilosecius non potuimus, quin tam de vi probabilique sensu et argumento

1) Lucae XVIII. 31. 32. 33. iuxta SEBAST. CASTELLIONIS translationem.

oraculorum, Abrahamo et Jacobo de ventura salutifera prole datorum, quam de eorundem oraculorum enarrationibus vetustissimis, nec non de ratione et modo, quo quidem Judaeorum dogma Messianum ad Israelitas Mosaizantes ante deportationem in Babyloniam pervenisse verisimile sit, paulo copiosius disputaremus. Isti enim labori nullo modo supersedere debebamus: hic autem subeundus erat, ut vis atque pondus argumentorum, quibus disputatio nostra fulta est, satis intelligeretur.

Libellum istum, quem nunc demum publicare contigit, postquam per integrum fere annum apud bibliopolam quendam, cui eum edendum tradideramus, delituisset, latina lingua conscripsimus, ut et a vicinis Batavis, Gallis atque Anglis legeretur, hosque permoveret, libros, quos in suis bibliothecis de historia, moribus et dogmatibus Samaritanorum, nondum typis exscriptos, possident, seu integros, si operae pretium se facturos iudicarent, seu ad exemplum Joa. Henr. Hottingeri et Hadriani Relandi in compendium summa fide et diligentia redactos publici juris faciendi. Quod consilium, si exequeretur, haud parum Theologiam et Historiam adiuturum esse, ex nostra, uti speramus, satis apparebit disputatione. Nam cum per integrum seculum, et quod excurrit, epistolae Samaritarum, ad Anglos datae, delituissent, donec ad Schnurrerum mitterentur, hic, quadraginta demum annos, postquam in illustris Eichhornii *Repertorio*, quod aiunt, eas excudi jussisset, nobis occasionem fecit, de decreto Samaritanorum Messiano accuratius disputandi. In bibliothecis Anglicanis exempla librorum Samaritarum liturgicorum exstare, ante ducentos annos Joannem Morinum, in his litteris summum et Pentateuchi Samaritani primum editorem, non fugit.

Isti libri quanto emolumento Theologicis dogmatibus futuri sint, si ab accuratae eruditionis viro diligenter tractentur, ex MOPHARREDSCHII disputatiuncula de Messia Samaritano patet. Oxonii exemplum Chronici Samaritani, ab ABUL PHETACHO conscripti, latitat, cuius compendium, nescio an satis accuratum? excusum est in *Actis Eruditorum* A. 1691. In Gallia, seu penes illustr. SILVESTRUM DE SACY, seu in Bibliotheca Parisina Regia novissimum Samaritarum cum Gallis epistolarum commercium servatur, quod Theologiam et Historiam multum adiuturum esse, si aut integrum aut in iustum accuratumque compendium cum ipso textu arabico redactum et editum esset, tam ex commentario cognoscitur, quem L. B. DE SACY de Samaritis publicavit, quam ex translatione speciminis, quod SCHNURRERUS edendum curavit. Lugduni Batavorum servatur liber Josuae Samaritanus seu Chronicon huius gentis, quod, quamvis fabulis commentisque ita refertum sit, ut eius editionem vel idem summus DE SACY supervacaneam iudicaverit: nihilominus ex fragmentis, quae ADRIANUS RELANDUS, vir ad litteras iuvandas natus eisque praematura morte ereptus, ex hoc libro protulit, satis apparet, integram huius Chronici editionem Theologicis ac Historicis disciplinis proficuam fore. Fieri autem potest, ut et alii libri Samaritarum, vel in Europaeis, vel in Asiaticis bibliothecis, imo et in Africanis delitescant, interpretationi S. Scripturarum aut dogmatibus religionis accuratius exponendis aut historiae illustrandae, si ad lucem protraherentur, inservituri. Etenim cum controversia, quae inde a multis annis inter Theologos et Philosophos circa fontem religionis, quam aiunt, revelatae agitatur, vix nisi luce et duce historia componenda sedandaque

videatur: nunquam desistemus suadere, ut interim, donec certiora melioraque reperiantur, cuiusvis generis apta idoneaque materies ad dirimendam hanc litem congeratur, ut saltem in posteros ex nostra industria idem saluturis fructus redundet, quem Deo O. M. bene iuvante et annuente ex disputationibus maiorum nos percepisse, nunc grati profitemur.

Rogamus autem Lectores, ut, si quid proficui Theologicis dogmatibus nos attulisse forte iudicaturi sint, illustrissimo Libero Baroni Stein de Altenstein grates habeant, qui rebus nostris clementer prospiciens, superiore hieme haec conscribendi nobis otium fecit. Nam cum generosissimi huius Viri munificentia adiuti operas archivales, quas vocant, per aliquot menses omittere possemus, ita ut non nisi sex horis quotidianis in ordinanda describendaque copiosissima Bibliotheca Regia et Academica Vratislaviensi detineremur: haud cunctati sumus, Ven. Joa. Ern. Parovio, in Universitate litterarum Gryphica Theologiae Professori celeberrimo, per epistolam suadenti et hortanti, ut dogma de Messia morituro accurate examinaremus, morem gerere. Selegimus igitur perscrutandum expendendumque vetus genuinumque decretum Samaritanum Messianum, quoniam non opus esse pluribus intelleximus, ut extra omne dubium positum esset, priscos Judaeos e prophetarum libris hausisse et descripsisse dogma de morte Messiae idque decretum Jesu servatoris longe superasse tempora: Jesum igitur comprobasse et secutum esse maiorum enarrationes nonnullorum huc spectantium vaticiniorum eaque de se accepisse, inque ea re eum neque discipulos suos, neque semetipsum decepisse, ne-

que se quasi de Deo et hominibus desperantem, in mortem praecipitasse acerbissimam et contumeliosissimam, quam omnino, siquidem voluisset, effugere potuisset cui autem, utpote verus a prophetis praedictus Messias, nec se eripere voluit, nec potuit. Nam ita praefinitum erat, ut esset mors Christi lux et vita mundi. Dat. Vratislaviae Kal. Mart. MDCCCXXI.

DE CHRISTOLOGIA SAMARITARUM
DISPUTATIO.

CAP. I.

Utrum Judaei Christologiam suam iuxta dogmata Samaritana corruperint?

Ven. Leonhardus Bertholdtus, postquam in libello, quem anno huius seculi undecimo *de Christologia Jesu Apostolorumque aetate* Erlangae publicavit, de Messia secundum Judaeorum dogmata disseruisset eumque tanquam restitutorem pessundatae eorundem rei, victorem omnium suorum adversariorum et regem immortalem descripsisset: suspicatus est [1]), Judaeos recentiores, quoniam eundem Messiam moriturum docent, vetus decretum Messianum, a maioribus relictum, iuxta Christologiam Samaritarum adulterasse, qui inter cetera Messiana placita et hoc de Messiae morte habent.

Haec vero clarissimi viri sententia, quae nullo plane fundamento, praeter suspicionem, nititur, neminem facile morabitur, qui originem ac conditionem decreti Samaritani Messiani paulo curiosius indagaverit. Nam si vel inveteratum ac plane inplacabile odium,

1) p. 167.

quod inde ab initio Samaritanismi ad nostra usque tempora inter Judaeos et Samaritas intercessit, obstitit, quominus illi quidquam ex Samaritarum placitis mutuarentur, suisque dogmatibus adderent: ita multo minus verisimile videtur, Judaeos recentiores usque adeo corrupisse dogma Messianum, ut eundem Messiam morte absumtum iri praeceperint, quem vates sui veteresque doctores immortalem regem descripserant.

Qui vero paulo diligentius placitum de Messia morituro examinaverit, plane non intelliget, quas ob causas Samaritae illud excogitaverint? In toto enim Pentateucho, quem unum solumque Samaritanismi auctores, reiectis ceteris Judaeorum sacris libris, retinendum legendumque praeceperant, de Messia morituro nil perscriptum est. Judaei recentiores quidem tradunt, Messiam Samaritanum, propter Jeroboami regis peccata, in praelio caesum iri: sed hoc placitum a vero genuinoque decreto Messiano Samaritarum adeo abhorret, ut sine dubio ceteris Judaeorum de Messia Samaritano commentis adnumerandum sit. Satis igitur patet, Samaritas, cum hoc placitum de morte Messiae e Pentateucho non deprompserint, aliunde illud petiisse atque Christologiae inseruisse, sicut, praeter alia a libris Mosis absona dogmata, et scitum illud de mortuorum resurrectione tradunt, cuius nullum in Pentateucho vestigium exstat.

Diligenter quidem ven. Bertholdtus congessit, quae Rabbini de Messia Samaritano praeceperunt, omnesque, quorum haec noscere interest, ad eius librum ablegamus: sed valde dubitamus, quin ex libris Judaeorum recentiorum seu Rabbinorum dogma verum ge-

nuinumque Samaritarum Messianum accurate describi possit?

Nam neminem fugit, Judaeorum fidem in his rebus tradendis admodum suspectam esse, quoniam Samaritas semper oderunt et nunquam destiterunt, eos calumniare ac plurima eaque impudentissima mendacia de rebus placitisque huius gentis conscribere. Quorum commenta cum nos non fugeret, JOSEPHUM SCALIGERUM [1]) BRIANUM WALTONUM [2]), JO. HENR. HOTTINGERUM [3]), ADRIANUM RELANDUM [4]), atque ex his JOA. FRANCISC. BUDDEUM [5]) iam pridem refutasse idoneisque argumentis probasse, Judaeis de Samaritis disserentibus parum aut nihil fidei esse tribuendum: iudicium summorum quatuorvirorum istorum cautionem nostram in examinandis Rabbinorum de Messia Samaritano narrationibus non potuit non acuere. Cum autem singulas huius dogmatis partes accurate exploraremus, intelleximus, Judaeis recentioribus hac in re nullam plane fidem adhibendam esse eosque maxime falli, qui in tradendo illustrandoque decreto Samaritarum Messiano hos duces sequuntur. Quaecunque enim Rabbini de Messia Samaritano scripta reliquerunt, ea tam longe a puritate ac indole dogmatis Sa-

---

1) In *Opere de Emendatione temporum* p. 621. *Edit. Lugd. B.* 1598,

2) In *Apparatu Biblico* p. 365. *Edit. Tigur.* 1675.

3) In *Exercitation. Antimorin.* p. 16.

4) In *Dissertatione de Samaritanis* §. 24. in *ejusdem Dissertation. miscellan.* II. 56 sq.

5) In *Historia ecclesiast. veteris Testam.* II 1044. *editionis* II.

maritarum Messiani abesse deprehendimus, ut nulli dubitemus contendere, Judaeos sibi peculiare decretum de Messia Samaritano finxisse in eoque exposuisse, non, quid Samaritis de venturo magno propheta visum fuerit, sed quid a doctoribus suis de Messia Samaritano praecipiendum sit.

Cum eos enim non fugeret, Messiam a Samaritis quoque exspectari, existimasse videntur, suum Messiam, Davidis filium, quem ipsi, Mosis scilicet prophetarumque discipuli, Abrahami veri posteri, exspectarent, ad Samaritas, exterarum gentium Judaeorumque impiorum ac perfugarum colluvionem, templi Hierosolymitani desertores, librorum prophetarum temerarios contemtores, haud spectare. Ideoque nulli dubitasse videntur asserere, Messiam Samaritarum a suo eoque vero, utpote a prophetis praedicto, Messia distinguendum esse, finxeruntque, seu potius fingentes praeceperunt placitum de Messia Samaritano, huncque docuerunt non e Davidica stirpe, sed a sobole Josephi originem tracturum; Messia Davidis filio quicquid in hoc spectes, sive originis decus, sive rerum gerendarum gloriam, sive doctoris dignitatem summam, multo fore inferiorem; multas illum quidem de hostibus victorias reportaturum, sed tandem, propter Jeroboami peccata, in praelio occubiturum.

Judaeos recentiores sincerum genuinumque dogma Samaritarum Messianum aeque ac Europaeos, antequam Mopharredschii litterae in Angliam perlatae essent, ignorasse, satis verisimile videtur. Nam si hoc decretum secundum mentem Samaritanorum cognitum perspectumque habuissent, vix dubium est, quin accura-

tius fideliusque illud descripserint, cum viderent, singulas huius placiti partes a maioribus suis valde corruptas. Cuius corruptionis, ut paulo ante dixeramus, duplex causa probabilis videtur: una, quod doctores Judaeorum Samaritas, impios transfugas, suo Messia indignos ducerent: altera, quod in enarrando tradendoque hoc dogmate prophetarum effata eos reiicere scirent, simul autem viderent, eos ex nonnullis Pentateuchi locis suum decretum Messianum describere, quorum plurima ipsi de Messia non caperent. Commodis speciosisque his causis Judaei usi videntur, ut, Samaritis suum Messiam, quem haud ignorarent, esse unicum, erepturi, contenderent, Messiam Sichemitarum a Messia Davidis filio esse distinguendum.

Primordia novi istius Judaeorum placiti a temporibus illis deducenda videntur, quibus inter Judaeos Hierosolymitanos ac Sichemitanos, qui Samaritani appellati sunt, de religione acerrime disputatum fuit: igitur non multo post exstructum templum Garizimitanum conditumque Samaritanismum.

Testimonia Targumistarum de Messia, filio Josephi, vetustissima exstant Cantic. IV. 5. et apud Jonathanem ben Uziel seu juniorem, Exod. XL. 11. Omittimus ea et apponimus locum e libro *Sohar* [1]).

---

1) In Genes. II. 4. 5. 6. Auctorem huius commentarii cabbalistici R. Simeonem Ben Jochai perhibent, qui circa A. C. 170. floruit. Alii contendunt, librum Sohar a discipulis Simeonis ben Jochai collectum esse. Conf. Jo. Cph. Wolfii *Biblioth. hebr.* IV. 1012 sq. Joannes Morinus autem hunc librum a Leone Judaeo ante quingentos annos confictum

וכל שיח השדה דא משיח ראשון טרם יהיה בארעא . וכל עשב השדה טרם יצמח דא משיח שני ולמה בגין דלית תמן משה למפלח לשכינתא דעליה אתמר ואדם אין לעבור את האדמה. ורזא דמלה לא יסור שבט מיהודה דא משיח בן דוד . ומחוקק מבין רגליו דא משיח בן יוסף עד כי יבא שילה דא משה:

Id est:

Et omne virgultum agri: hic est Messias prior, antequam esset in terra. Et omnis herba agri antequam germinaret: hic est Messias posterior. Et quare istud? Quia non fuit isthic Moses ad colendum numen, de quo dicitur, Et homo non erat ad colendam terram. Et arcanum loci istius: Non recedet sceptrum de Juda: hic est Messias, filius Davidis: Neque legislator de pedibus eius: hic est Messias, filius Josephi: Donec veniat Schilo: hic est Moses. Samaritas autem novimus [2]), non ista verba ומחקק מבין רגליו Genes. XLIX. 10, sed quae paulo post sequuntur, לו יקהתו עמים, *eique obedient gentes*, de Messia enarrare. Praeterea iidem Samaritae vocem שילה de *Salomone* seu *Solimane* Persa [3]) explicant, quem Drusi, postquam quinquies hominibus apparuisset atque inter eos versatus esset, sextum inter

---

censet. Conf. *Ecclesiae oriental. Antiquitates. Lips. et Frcf.* 1683. pag. 532.

2) Ex Mopharredschii, sacerdotis Samaritani, testimonio mox laudando.

3) Cph. Cellarii *Dissertat. academ.* p. 143. P. J. Brunsius *in notis ad epistolam Samaritarum ad Jobum Ludolfum tertiam*, in Eichhorn. *Repertor. für bibl. und morgenländ. Litteratur* XIII. 289.

eos tamquam messiam versaturum asserunt [1]). Causa et nexus huius inter Drusos Samaritasqne recentes de Solimana Messia communis, uti quidem videtur, sententiae, nondum investigatus est, licet PAUL. JAC. BRUNSIUS ante quadraginta fere annos curiosiori doctorum hominum indagationi hanc rem commendaverit [2]). Cum vero propter librorum idoneorum inopiam spes abiicienda sit, fore, ut in Germania obscurus iste locus adulteratae Christologiae Samaritanae illustretur: optamus, ut Angli aut Galli, quos uberrimos litterarum orientalium thesauros possidere nemo facile nescit, hanc operam Historiae Theologicorum dogmatum navent.

---

1) SOLIMAN fidelissimus Hacemi, crudelissimi tyranni, cultor fuit. Drusi tradunt, eum septies inter homines versatum esse eiusque septem nomina, qui volet, discere poterit ex *Catechismo Drusorum* I. apud EICHHORN in *Repertorio* etc. XIII. 163. aut ex *Catechismo Drusorum altero* in eodem eiusdem EICHHORNII libro p. 203. Juxta Drusos SALOMO Persa seu HAMZA IBN ALI Evangelium condidit. Iidem Drusi fabulantur, Mariam, servatoris matrem, falsum Messiam progenuisse. Tradunt quoque, HAMZAM cum ceteris quatuor angelis magnis in throno Domini sedere. Et Samaritae Messiam appellant maximum angelum, teste ADR. RELANDO in *Dissertat. Miscellan.* II. 27.

2) In EICHHORN. *Repertor.* XIII. 289.

CAP. II.

Vetus genuinumque decretum Messianum Samaritanorum.

Merchib seu **Mopharredsch Ibn Jacub**, sacerdos Samaritanus, in epistola ad Anglos ante annos centum et quinquaginta (1672) conscripta, dogma Samaritarum Messianum, viam monstrante **Thoma Marshallo** Anglo [1]), tanta diligentia enarravit, ut valde miremur, fide dignissimum eius testimonium viros doctos adeo neglexisse, ut potius a commentitio Judaeorum decreto de Messia Samaritano se decipi passi fuerint, quam singulas partes puri genuinique Samaritani placiti examinare. Integram igitur Mopharredschii disputatiunculam, una cum **Christiani Frid. Schnurreri** translatione germanica hoc loco repetere nulli dubitamus, iis, quemadmodum speramus, gratum facturi, qui **Eichhornii** libro carent.

Ait vero haec [2]):

وذكرتو عن قيلم [illegible] [illegible]. النبي قال
الله عنه الي يسس: [illegible]· [illegible]· [illegible]· [illegible]·

---

1) *Repertor. für Biblische und Morgenländ. Litt.* IX. 11 sqq.

2) *Ibidem* p. 27. 28. Monemus, Schnurrerum orthographiam Mopharredschii maturo consilio non emendasse, alioquin hoc in loco non imprimi jussisset قالو et يامنو. Sed scripturam Samaritanam, a Schnurrero, uti videtur secundum Kennicoti in Bibliorum editione haud probandum exemplum, cum hebraea commutatam, restituimus. Novimus quidem Samaritanam scripturam, sed veram huius linguae pronunciationem ignoramus. Quare peregrinatores Europaei

ࠀࠇࠉࠄࠌ ࠊࠌࠅࠊ هو هذا النبي بشر به ابونا
ابرهيم وهو قوله ࠅࠄࠍࠄ ࠕࠍࠅࠓ ࠏࠔࠍ ࠅࠋࠐࠉࠃ
ࠀࠔ: وهو الذي ࠋࠅ ࠉࠒࠄࠕ ࠏࠌࠉࠌ: وهو
الذي قيل عنه [illegible]
[illegible] وهو الذي قال عنه [illegible]
[illegible]
[illegible] وقد قالو عنه علمانا
انه يقوم هذا النبي وله ينقاد كل الشعوب وبه
يامنو وبالتوراة المقدسة وبجبل [illegible] ويظهر
بين [illegible] ويكون اول اسم هذا
النبي الذي يقوم [illegible] ويموت ويدفن عند [illegible]
[illegible] ويكون ظهور [illegible] علي يده وينصب
علي [illegible] هكذا مذكور عندنا في الكتب
الموجوده وفي سفر يهوشع بن نون

Id est:

„Ihr redet von dem Kommen jenes grossen Propheten, von welchem Gott zu Mose gesprochen: einen Propheten will ich ihnen erwecken aus ihren Brüdern, wie dich. Dieser ist eben derjenige Prophet, so unserm Vater Abraham verheissen worden, da es heisst (1 Mos. XV. 17.) da rauchte ein Ofen, und eine Feuerflamme. Er ist derjenige, welchem die Völker anhangen werden (1 Mos. XLIX. 10.) und derjenige,

operae pretium facturi essent, si ex ore Samaritanorum plurima pronuntiationis exempla exciperent vocalibusque arabicis aut hebraeis aliquot longiora capita ornarent, quae excusa sunt in Christoph. Cellarii *Horis Samaritanis.* Edit. II. *Frcf. et Jenae* 1705.

von welchem es heisst (4 Mos. XXIV. 17. er wird zerschmettern) den Scheitel [1]) aller Kinder Seth — Israel aber wird Sieg haben [2]): und derjenige, von welchem Moses sagt (5 Mos. XVIII. 15) einen Propheten aus deinen Brüdern, wie mich, wird dir erwecken Jehova dein Gott, und diesem sollt ihr gehorchen. Unsre Gelehrten behaupten von ihm, dieser Prophet werde kommen, alle Völker werden ihm gehorchen und an ihn glauben, und das heilige Gesetzbuch und den Berg Grisim: die Religion Mosis, des Sohns Amram, werde aufkommen: der erste Name [Buchstab] dieses Propheten, welcher auftreten solle, werde seyn [illegible]: er werde sterben und begraben werden bei Joseph, dem Sohn der Fruchtbaren: durch ihn werde die Stiftshütte zum Vorschein kommen und aufgestellt werden auf dem Berge Grisim. So heisst es in unsern vorhandenen Büchern und im Buche Josua des Sohns Nun. [3])

---

1) Lectionis varietas in codice samaritano ࠒࠃࠒࠃ *vertex*, masorethicae lectioni וקרקר *contundet*, *exscindet*, propter locum *Jerem.* XLVIII. 45. praeferenda videtur. Conf. celeb. Ern. Frid. Caroli Rosenmülleri *Scholium ad Numeror.* XXIV.

2) Haec verba desunt in utroque codice, hebraeo et samaritano.

3) Samaritae geminum librum Josuae habent, ab eo, qui in codice hebraeo exstat, longe diversum. Alter ab ignoto auctore lingua hebraea, id est, samaritana, conscriptus, cuius translatio arabica hodie superest, ab obitu Mosis ad Alexandri Severi Aug. tempora decurrit. Cuius Chronici exemplum, quod Samaritae Josepho Scaligero dono miserant, in

Ex luculento hoc et valde memorabili MOPHARREDSCHII testimonio patet, Samaritas docere, Messiam post instauratum Mosaismum mortem oppetiturum esse Sichemaeque sepultum iri, ubi praeclarus idem sacerdos Samaritanus paulo post in sua epistola memorat, tumulos esse Eleasari, Ithamari, Pinehasi eorundemque filiorum, itemque sepulchra Josuae, Calebi, septuaginta Seniorum, Eldadi quoque et Modavi. Mopharredschius sine dubio ad Anglos scripsisset, Messiam post multas de hostibus reportandas victorias ingentemque eorundem stragem in proelio, propter Jeroboami peccata, caesum iri, si in libris Samaritarum superstitibus hoc placitum de magni venturi prophetae vitae exitu traderetur.

CAP. III.

Qua ratione dogma Judaeorum Messianum priscis Samaritanis innotuerit?

Non repugnamus, Samaritas recentes decretum de Messia morituro a maioribus accepisse, sed omnino nul-

bibliotheca Academica Leidensi servatur. Praeter hoc nullum omnino superesse fama quidem est, sed ea non admodum verisimilis. Nam unicum, quod superfuisse fabulantur, libri Josuae exemplum Samaritae non videntur Scaligero, homini satis obscuro, nec de eis admodum merito, dono dedisse. Jo. HENR. HOTTINGERUS diligenter eo usus est; praesertim ADRIAN. RELANDUS, qui huius libri apographum Golianum nactus erat. Alter liber Josuae Chronicon ABUL PHETACHI audit, historiam ab Adamo ad Muhammedem usque pertexens. Huius Chronici exemplum Samaritae per ROBERTUM

la idonea causa adest, quae priscos Israelitas, Mosaismi ante deportationem in Assyriam et in Babyloniam tenaces, impulerit, hoc decretum excogitare sibique peculiare quasi et proprium facere, ita ut Judaei non multo post Jesu servatoris mortem illud ex Christologia Samaritanorum in suam transtulerint. Cum enim origo dogmatis Messiani sine dubio a prophetis Judaeorum repetenda sit, multo probabilius videtur, Samaritas recentiores, id est, Judaeos Sanballathi tempore Hierosolyma profugos, hoc placitum de Messiae morte, cum ceteris decreti Messiani capitibus retinuisse.

In exponendo vero genuinoque Samaritarum dogmate Messiano non tam indagandum dispiciendumque videtur, quid prisci Israelitae, antequam exterae gentes, ex Assyria missae, in Samaria sedem cepissent, de eo censuisse verisimile sit, quam commonstrandum id, quod Samaritae post exstructum a Sanballatho templum Garizimitanum conditumque Samaritanismum de Messia docuerint? Nihilominus ad vetustiora tempora ante deportationem Assyriacam et Babylonicam redeundum erit, ut appareat, qua ratione decretum Messianum Judaeorum priscis Israelitis innotuerit.

Jam satis constat, Ephraimitas, posteros Josephi, maiores indigenarum Samaritarum, antequam Jeroboamus summa rerum potiretur, cum ceteris Hebraeis Jehovam primum apud tabernaculum sanctum Schilunte, in ipsorum tractu, postea in templo, a Salomone exci-

---

Huntingtonum A. 1672. in Angliam miserunt, Eduardusque Bernardus, Professor Oxoniensis, breviarium ex eo confecit, in *Actis Eruditorum* A. 1691. p. 167. sqq. editum.

tato, adorasse iisdemque Mosis legibus ac institutis, atque illos, obtemperasse. Saule rege exstincto, Israelitae Judaeis de summa rerum quidem aemulabantur deque ea vel bello certabant [1]): sed testimonia et vestigia plane desunt, eos in rebus, ad religionem pertinentibus, a Mosaicis dogmatibus placitisque doctorum, qui Mosem secuti sunt, sive sacerdotes, sive prophetae fuerint, discessisse, licet templum Salomonicum splendidissimusque numinis cultus, qui in eo peragebatur, Israelitarum invidiam non compescuerit. Salomone autem mortuo, cum denae ex duodenis Hebraeorum tribubus Rehaboamum, intolerabiles spiritus sibi sumentem, imperio exuissent, atque Jerohoamum, Ephraimitam, regem sibi creassent: hic, ut vetere malo fieri solet, utilitatem imperii curae religionis praeferens, subditos superstitione imaginum seu symbolorum numinis corrumpere instituit eosque a cultu Jehovae in templo Hierosolymitano avocare.

Duos enim vitulos aureos excitavit in oppidis Bethel et Dan [2]), quorum illud versus meridiem, hoc versus septentrionem situm erat. Facile hinc colligas, Israelitas et in aliis rebus a Mosaismo multum discessisse, cum eiusdem religionis primum praeceptum idque gravissimis verbis inculcatum, parum curaverint. Verum tamen non omnes Israelitae, ut in materia religionis fieri solet, dicto regis audientes fuerunt. Nam in libris Regum, praesertim in historia Eliae prophetae, plura testimonia exstant, fuisse in Israelitide, qui Mo-

---

1) 2 *Samuel.* II. 17.

2) 1 Reg. XII. 26 sqq.

saismum non deseruerint, licet exempla plane desint, eos adoratum, sacrificatum, festorumque celebrandorum causa Hierosolymam commeasse. Sed quamvis reges Israelitarum cum maxima parte subditorum, cultui tam symbolorum, quam astrorum dediti essent: nihilominus in istorum regum aulis vates doctoresque Mosaismi commoratos, seu ad eas, ubi opus visum, evocatos esse rogatosque sententiam dixisse [1]), satis constat. Quid vero hos Israelitas in studio Mosaismi, si Pentateuchum ante Jeroboami regis tempora conscriptum editumque neges, continuerit, haud assequimur. Ab hoc certe libro religio, eiusque dogmata, aeque atque auctoritas sacerdotum doctorumque Mosaismi in Israelitide, si quid videmus, pendebat: quo sublato aut plane deficiente Mosaicam religionem, superstitionibus variis vicinorum populorum oppositam hisque omnibus exosam, simul cum memoria sui auctoris perituram fuisse, vix quemquam negaturum putamus, qui meminerit, hanc religionem multitudine praeceptorum ritualium, mole quasi sua, laborasse. Vix autem dubium est, quin sequioris aevi Samaritae omnes Judaeorum libros sacros, tam historicos, quam poeticos et propheticos, temporibus regum conscriptos, reiicientes, et Pentateuchum reiecerint, si eum his temporibus conflatum et editum aut scivissent, aut suspicari debuissent. Quod cum non fecerint, ingenue fatemur, hanc causam nobis satis idoneam videri, cur probabilius sit, editionem Pentateuchi tempus Jeroboami regis ante-

1) Conf. ill. Jo. Gottfr. Eichhornii *Propheten*, III. 556 sqq.

cessisse, quam eum in postremis iudaicae reipublicae temporibus prodiisse.

Israelitae Mosaizantes cum libros Mosis in manibus haberent, oraculorum, Abrahamo et Jacobo de ventura salutifera prole datorum, oblivisci non poterant. Eos autem spem non abiecisse, fore, ut et haec oracula eventu comprobentur, inde colligi licet, quod viderent, cetera oracula, Abrahamo de finibus et ambitu regni posterorum data, Davide et Salomone regnantibus adimpleta fuisse. Israelitas autem, si vel maxime haec oracula parum curassent, aut ea secus, ac nobis verisimile videtur, exposuissent, latere non poterat, quae Jesaias aliique vates Judaeorum post eversum ab Assyriis regnum Israeliticum de eximio venturo heroe ac doctore canebant, non solum, quod finitimi essent Judaeorum hancque ob causam mox rescirent, quid inter eos gereretur, sed etiam quod hortatibus Ezechiae, potissimum Josiae commoti, idolatriam, maximam saltem partem, abrogarent, et post annos fere ducentos, quam maiores ipsorum a Mosaismo recesserant, tanto ad eum studio redirent, ut auctores libri secundi Regum ac Chronicorum non sine causa de Josia gloriati videantur, quod Hierosolymis tale Pascha celebraverit, quale post priscorum suffetum, seu Judicum memoriam Hebraei non celebraverint [1]).

Quae oracula de beneficiis a venturo insigni heroe ac doctore Judaeis tribuendis et Israelitas Mosaizantes ante Ezechiae et Josiae tempora, deinde omnem gentem Israeliticam post amplexum denuo Mosaismum ad

1) 2 Reg. XXIII. 22. 2 Chron. XXXV. 18.

se traxisse, hanc ob causam verisimile videtur, quod prophetas non obstitisse legimus, quominus eos laetissima quaeque de venturo heroe exspectare paterentur. Prophetae sequioris aetatis hanc spem variis oraculis aluerunt. Prophetas oraculis his, Abrahamo et Jacobo datis, sua de venturo Messia vaticinia superstruxisse aut superstruere potuisse, non omnino quidem negamus: sed eosdem prophetas ex his quoque oraculis cognosse, promissam Abrahamo salutiferam progeniem ex prosapia Davidis originem tracturam, Bethlehemi eam natum iri, et futurum, ut cruenta morte absumatur, minime affirmabimus. Sine dubio temporis iniuria, seu potius hominum incuria, multa prophetarum Hebraeorum interciderunt vaticinia, quorum plura, quae hodie desiderantur, in libris Regum ac Chronicorum memorantur. Sed istorum vaticiniorum satis superest, ut dubium non sit, prophetas res, ad Messiam pertinentes, bifariam exposuisse, tam de Heroe, Davidis filio, immortali, usquequaque felici, virtute ingenita divina Hebraeos beaturo eorundemque pessundatam rem restituturo, quam Messia doctore, hominis filio, vitam periclitaturo et amissuro, ut peccata hominum tollat eosque exemplo et salutari doctrina beet. Fieri potest, et nisi nos omnia fallunt, revera accidit, ut bina ista dogmata, inter se discordantia et toto caelo dissidentia, quorum illud Particularismo, quem vocant, Judaico favebat, hoc vero multo sublimius Messiaque, omnem terrarum orbem beaturo, multo dignius, ad Universalismum viam pandebat, paulatim in ore doctorum in unum coalescerent, licet dogma de Messia heroe Judaeis, Jesu servatoris aetate iugi Ro-

manorum pertaesis, adeo placuerit, ut decretum de Messia doctore morituro parum aut nihil curaverint, sed oblivioni, ut ita dicam, dederint. Sine dubio nil inde praesidii ad restituendam rem sperabant. Verum tamen si vel maxime concedamus, vates priscos Judaeorum a Davide rege, tam felicissimo victore suorum inimicorum, quam egregio poeta ac doctore patienterque ferente varias a Deo sibi immissas calamitates [1]), imaginem duplicem venturi Davideque multo excellentioris herois ac magistri sibi finxisse, eosque genus ac originem Messiae ab eodem Davide, quam ab alio quodam rege maluisse repetere: nihilominus manifestum esse putamus, eos non sine afflatu moderamineque numinis haec cogitasse ac cecinisse, quoniam hac in re omnino non errarunt, in qua, si more otiosorum hominum, suis publicisque rebus male contentorum, aut ludente et aestuante ingenio, aut vanis exspectationibus se abripi passi fuissent, sine dubio errassent. Qui haec prophetarum Judaeorum vaticinia pro meris poematiis, id est, ingenii lusibus habent eaque vaticinia esse negant: isti quidem sententiae opinionibus-

1) 2 *Samuel* XVI. XXIV. 1 *Chron.* XXII. Davidem in bello Nisibeno aliquamdiu fortunam adversam expertum esse hostesque terram Canaan infestasse eamque longe lateque igne et ferro miscuisse, in Psalmo XX. 3. insigne testimonium superest. Conf. Jo. Dav. Michaelis *Comment. Societ. Gotting. praelectae* II. 71. Ven. Geo. Christ. Knappius in *translatione Psalmorum germanica* et ven. Henr. Eberh. Glob. Paulus in *Philologische Clavis in die Psalm* ad h. l. De hac vel simili clade accipiendus est locus Psalm. XLIV. 10 sqq.

que totius antiquitatis ac interpretationibus veterum Judaeorum refragantur, quos, quippe prophetarum aut coaevos, aut non ita multo post eorum tempora viventes, certe non fugiebat, quid de prophetarum eloquiis statuere, aut quomodo ea accipere et enarrare deberent? Si igitur aequum et par est, rebus in facto, quod aiunt, positis fidem adhibere; non videmus, cur nos vaticiniorum de Messia puderet, aut cur ea de incertis obscurisque dictis et factis quorundam regum, procerum, vatum, aut aliorum hominum, quorum nulla fama in historiis superest, enarrare deberemus, cum ipsimet veteres Judaei haec vaticinia, idoneis sine dubio causis permoti, de Messia intellexerint. Qui vero Jesum futura praedixisse non eunt inficias, eccur isti innuunt, aut omnino negant, prophetas de Messia cecinisse? Omnem iudaicae gentis historiam diligenter repetituro, praeter Jesum nemo sane occurret, de quo satis videatur, haec enarrari vaticinia. Quae cum ita sint et Jesus saepissime disertis verbis, prophetas de se vaticinatos esse, professus sit eumque se praestiterit, eaque patraverit et perpessus sit, quae Messiam praestiturum et perpessurum vates praedixerant: nemo non videt, frustra haec prophetarum loca torqueri eisque novas inauditasque enarrationes, post aliquot dies aut annos ab aliorum curiosioribus repertis oblitterandas, obtrudi. Quidni firmiter credis et ingenue profiteris, Jesum haec vaticinia rectissime intellexisse, eundem illum, qui omnium unus post hominum memoriam ex Judaeis quaerere debebat: τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας [1]; et de quo Pe-

1) *Evangel. Joan* VIII. 46.

trus[1]) nullus dubitavit asserere, ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ! Huius viri summam animi integritatem a calumniis et obtrectationibus eorum vindicare, quos vel sanguine suo participes fecit prosperitatis, qua eis in orbe christiano hodie frui contigit, quem autem, vanis opinionibus incautos et imprudentes seducentes, denuo crucifigunt et tanquam Enthusiastam, temporibus ac superstitione Judaeorum callide inservientem, proponunt, plane supervacaneum videtur.

CAPUT IV.

Quid prisci Judaei de oraculis Abrahamo et Jacobo de ventura salutifera prole datis statuerint?

Jam examinandum exponendumque superest, quid prisci Judaei de oraculis, Abrahamo et Jacobo datis, Genes. XII. XXII. XXVI. XXVII. statuerint?

Cum Rabbini seu recentiores Judaei prolem, in his oraculis promissam, de Messia accipiant, verisimile videtur, eos, prout soliti sunt, hac in re exemplum maiorum esse secutos [2]). Nullum autem vestigium superest, prophetas ceterosque sacri codicis hebraei auctores haec vaticinia de Davide, Salomone aut de omni gente hebraea exposuisse.

---

1) 1 *Epistol.* II. 22.

2) Conf. Joa. Jac. Wetstenius ad *Galat.* III. 16. aut ex eo ven. Elias Ann. Borger ad eundem locum in *interpretatione huius epistolae Pauli Lugd. B.* 1807.

Interpretes, qui ultimam istarum explanationum sequuntur, secundum quam Judaica natio ceteris terrarum populis tanquam salutifera proponitur, in duas potissimum abeunt partes. Sunt qui dicant, his vaticiniis praedici, fore, ut cultus Jehovae opera ac studio Judaeorum inter cunctas terrarum gentes propagetur, quo facto, felicitatem in eos esse redundaturam [1]). Sunt qui asserant, his vaticiniis cani, Abrahami causa omnes terrarum populos, Judaeos pariter ac ceteras nationes, se beatos praedicaturos [2]). Interpretes igitur, qui alterutram istarum explanationum sequuntur, haud existimant, formulam זרע אברהם *semen, progenies Abrahami*, de uno quodam ex eiusdem posteris esse accipiendam. Nihilosecius idonea argumenta adsunt, quibus commoti hanc veterum interpretum, tam Judaeorum, quam Christianorum, enarrationem recentissimis vaticiniorum istorum explanationibus praeferimus.

Verba quatuor vaticiniorum parum variantur. Genes. XII. 3. scriptum est: וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה׃ *et benedicentur in te*, seu felicitate augebuntur, *omnes gentes terrae*, quibus verbis cap. XXVIII. 14 vox additur, וּבְזַרְעֶךָ *et in semine tuo*, qua vocula בְךָ *in te*, in priore oraculo occurrens, uberius exponitur. Verba ceterorum oraculorum Cap. XXII. 18. XXVI. 4. ita se habent: וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵ הָאָרֶץ *et beabunt se in*

---

4) Conf. ven. Cph. Fridr. Ammon, *Christologie des A. T.* p. 22.

5) Conf. ven. Joa. Severin Vater *Commentar über den Pentateuch*, ad *Genes.* XII. 3.

semine tuo omnes terrarum nationes. Non repugnamus, vocem גוים de ceteris gentibus, praeter Hebraeos, accipi et enarrari posse: sed summa rei vertitur in explicanda vi vocis זרע.

Principes veterum interpretum Septuaginta graeci hanc vocem, prout in Pentateucho soliti sunt, accurate reddiderunt: *καὶ εὐλογηθήσονται ἐν τῷ σπέρματί σου πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς.* Onkelos Chaldaeus voculam בְךָ non inepte quidem interpretatus est בְּדִילָךְ *tua causa*, sed in interpretanda voce בזרעך *et in progenie tua*, pro more suo, ingenio indulsit, vertens בְּדִיל־בְּנָךְ *et propter filios tuos.* Eodem modo vocem זרע et in ceteris oraculis reddidit: וְיִתְבָּרְכוּן בְּדִיל־בְּנָךְ כֹּל עַמְמֵי אַרְעָא: *et benedicentur propter filios tuos omnes populi terrae.* Hoc modo vertere debuisset, si in codice hebraeo scriptum invenisset ובזרעיך *et in posteris tuis*, quod verisimile non videtur. Nam forma pluralis vocis זרע, licet de plantis, omnino occurrit 1 Samuel. VIII. 15. Cuius loci S. Hieronymus recordatus non est, scribens [1]: *Omnes Scripturas sensu ac memoria peragrans, nunquam plurali numero Semina scripta reperi: sed sive in bonam partem, sive in malam, semper in singulari numero.* Abrahamus ex uxore Sara unum tantummodo filium, Isaacum, iam grandaevus, sustulit. Juxta Onkelosi enarrationem aut de omni Abrahami progenie esset cogitandum, de Ismaele, ex serva Hagar procreato, de Zamrane, Jocsane, Madane, Madiane, Isbocco et Suo, quos omnes ex Ketura genuit, quod quidem as-

---

1) *Comment. in epist. ad Galat.* III. 16. *Opp. Benedictinor.* IV. 261.

seruisse vel ipsum Onkelosum puduisset, si paulo accuratius attendisset, quem sensum sua involvat interpretatio: aut, exclusis his, de Isaaco, huiusque filio Jacobo, et de eiusdem Jacobi duodecim filiis, auctoribus et progenitoribus nationis Hebraeae, ita ut Onkeloso visum fuerit, Hebraeos in oraculis istis tanquam salutiferam prolem omnibus terrarum populis propositos esse.

Frustra obiicias, vocem זרע non nisi *collective*, quod Grammatici dicunt, Hebraeos usurpasse, Onkelosum eam igitur recte de omni gente Hebraea accepisse. Nam exempla minime desunt, in quibus ista vox et *distributive*, ut iterum cum grammaticis loquamur, in hebraeo codice occurrit. Genes. IV. 25. Eva filium peperit eumque vocavit Sethum, כִּי שָׁת־לִי אֱלֹהִים זֶרַע אַחֵר תַּחַת הֶבֶל *quia deus aliam prolem mihi in locum Abelis reposuit*, quem Cain occiderat. Similiterque Genes. XV. 3. Abrahamus dixit: הֵן לִי לֹא נָתַתָּה זָרַע *ecce mihi non dedisti prolem.* In eodem libro cap. XXI. 13 scriptum est: *quia et filium ancillae in gentem propagabo*, כִּי זַרְעֲךָ הוּא, *quia tua proles est.* Eadem huius vocis significatio in duobus versiculis 8. 9. capitis XXXVIII. ter occurrit, quae idoneorum exemplorum copia facit, ut non opus sit, ad loca III. 15. XV. 3. provocare, quoniam ambigua videri possint. Ex luculentissimis his exemplis, e solo Geneseos libro collectis, extra omne dubium positum videtur, Hebraeos voce זרע mox distributive, mox collective secundum orationis nexum usos esse et in eligenda significatione non errasse, sive de omnibus cuiusdam posteris, sive de uno quodam ex his esset accipienda. Vel ex Novo

Testamento hic usus loquendi probari potest. Nam si Judaei, cum Jesu disputantes, dicunt, σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, ܙܪܥܗ ܚܢܢ ܕܐܒܪܗܡ Joan. VIII. 33. Jesusque, minime repugnaus, versiculo 37 respondet, οἶδα, ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε ܝܕܥ ܐܢܐ ܕܙܪܥܗ ܐܢܬܘܢ ܕܐܒܪܗܡ nemo non videt, hunc idiotismum collective de Hebraeis, Abrahami posteris, esse accipiendum. Rursus autem nemo dubitabit, hac formula loquendi Joan. VII. 42. Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαυῒδ καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς κώμης, ὅπου ἦν Δαυῒδ, ὁ Χριστὸς ἔρχεται; ܕܡܢ ܙܪܥܗ ܕܕܘܝܕ -- ܐܬܐ ܡܫܝܚܐ. non omnes Davidis posteros, sed *unum* ex his significari. Quemadmodum igitur Judaei vim significationemque idiotismi ܙܪܥܗ ܕܕܘܝܕ σπέρμα Δαυῒδ statim assequebantur, eamque secundum orationis nexum mox de omnibus Abrahami aut Davidis posteris, mox de uno quodem ex his, qui Messias vocatus est, accipiebant: ita videtur cum hoc idiotismo vox זרע in oraculis hisce, Abrahamo et Jacobo datis, comparanda. Hoc saltem extra omne dubium positum est, nullum prophetam, poetam aut historicum veteris testamenti hanc vocem de omnibus Abrahami posteris aut de omni gente hebraea, uti Onkeloso in mentem venit, enarrasse.

Ac si rem aequa lance pependeris, apparebit, Hebraeos ista oracula *non nisi de uno* ex posteris Abrahami intelligere potuisse, quoniam causa deerat, cur se omnibus terrarum nationibus salutiferos propositos esse crederent?

Quare ven. BORGERUS „*quidnam*, inquit [1]), *commodi et utilitatis a posteris Abrahami contigisse dicas Cananaeis? Israelitas, ducibus Mose, Josua, Davide, aliis, gentes quam plurimas debellavisse armis, interemisse, vectigales fecisse, S. Scripturae testimonio accepimus: omnes denique nervos intendisse constat Judaeos in redigenda ad interitum religione christiana, quo felicitatis fonte nullus uberior esse potest: bella vero beneficia!*" In reprobando consilio, quod Moses de occidione occidendis Canaanitis ceperat Judaeisque saepenumero inculcaverat, multis viris doctis omnino assentiremur, nisi par aequumque videretur, de eo secundum jus belli judicare. Cananaeos sponte ac ultro sedes ruraque patria deserturos non esse, sed in eis defendendis fortunam belli experturos, vel Davus inter Judaeos intellexit. Cum Mosen sors civitatum vi captarum non fugeret, internecionem indigenarum praecepit, quos irati victores sine eius iussu interfecissent. Miseranda igitur haec hominum strages furori victorum crudelitatique istorum temporum ac locorum tribuenda videtur. Nemo enim dubitabit, Cananaeos vice versa in Judaeos victos eodem crudeli iure belli usuros eosque ad unum omnes interfecturos fuisse. Sed historia Gibeonitarum satis docet, Judaeos non recusaturos fuisse, in ceteros Canaanitas clementia uti, si propter eorundem furorem ac pertinaciam ea uti licitum fuisset. Cum Moses praevideret, indigenas una cum suis civitatibus castellisque perituros esse, securitati et religioni Judaeorum cruenta hac caede consultum iri

1) In *interpretatione epistolae Pauli ad Galatas*, p. 204. 205.

vidit. Ista quoque terra Canaan protulit, fovit scriptumque reliquit, quicquid hodie de rebus divinis multo melius novimus, quam sapientissimi veterum Graecorum et Romanorum omnesque alii terrarum populi. Nam licet idololatria multum ac saepe ante tempora deportationis in Assyriam et Babyloniam invaluerit: nihilosecius Mosaismus numquam plane prorsusque neque in Judaea, neque in Samaria exstinctus est. Post deportationis Babylonicae tempora religio Mosis vicit et sola in Judaea floruit: superstitio idololatriae vel in Samaria non ita multo post disparuit. Nemo autem ibit inficias, Jesum incassum laboraturum fuisse, nisi in Palaestina vixisset et Mosaismus in hac terra non viguisset.

Accedit, quod Hebraei, semetipsos a Deo omnibus terrarum gentibus praelatos existimantes [1]) neque ante, neque post Chaldaicam deportationem ullam nationem praeceptis Mosaicae religionis imbuere dignati sunt, neque genus et ortum ab Abrahamo repetentes, ceteros populos, hoc commodo destitutos, imbuere voluerunt. Psalmi quidem hinc inde [2]), multaque in libris propheticis loca de cultu Jehovae, ab extraneis amplectendo loquuntur: sed ubi haec effata accurate inspexeris, constabit, vel de Hebraeis, seu potius de Judaeis post excidium Hierosolymitanum in Babylonia, Persia, Aegypto, Aethiopia aliisque in terris viventibus ac dispersis, sermonem esse deque his cani, fore, ut festorum celebrandorum causa Hierosolymam con-

1) *Deuteron.* VII. 6. XIV. 2. XXVI. 18. XXVIII. 9 etc.
2) Psalm. XXII. 18. 19.

veniant, cuius rei luculentissimum exemplum in Actis Apostolorum II. 5 sqq. exstat: vel de venturo aevo Messiano hic in locis praedicari, omnes terrarum gentes hac tempestate Jehovam esse adoraturos.

Ne uno quidem testimonio fide digno probare poteris, Hebraeos ullam unquam gentem ad Mosaismum amplectendum pellexisse. Igitur causa plane deest, cur ceterae terrarum gentes propter Abrahami fidem pietatemque beatas sese praedicare debuissent. Cui sententiae neque Strabonis, neque Josephi narrationes repugnant. Ille quidem refert, Idumaeos seu Nabataeos se Judaeis iunxisse huiusque populi leges, id est, Mosaismum amplexos esse [1]); cum vero propter librorum defectum, ex quibus Strabo, fide dignissimus auctor, haec deprompsit, neque de occasione, neque de tempore, quo Nabataei Mosaicam religionem capessiverint, satis constet: verisimile videtur, hunc scriptorem paucis ea attigisse, quae ab Hyrcano in Idumaea gesta sunt.

Ex Josephi Flavii testimonio satis constat [2]), Joannem cognomine Hyrcanum, summum Judaeorum

---

1) *Ναβαταῖοι δ' εἰσὶν οἱ 'Ιδουμαῖοι κατα στάσιν δ' ἐκπεσόντες ἐκεῖθεν προσεχώρησαν τοῖς Ιουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν. Idumaei quidem Nabataei sunt, per seditionem autem inde eiecti Judaeis se adiunxerunt, et leges eorum amplexi sunt.* XVI. 2. *Edit. Casaub.* p. 523. *Tschuck.* VI. 355.

2) *'Υρκανὸς δὲ καὶ τῆς 'Ιδουμαίας αἱρεῖ πόλεις ῎Αδωρα καὶ Μάρισσαν· καὶ ἅπαντας τοὺς 'Ιδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς 'Ιουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Hyr-*

pontificem ac principem [1]), a se victis subactisque Idumaeis, ut Mosaismum sequerentur, edixisse. Quod Hyrcani consilium nulli dubitaremus reprobare, nisi nobis valde verisimile videretur, prudentissimum hunc imperatorem non sine causa idonea Idumaeis Mosaicam religionem edixisse, forsan quoniam suis temporibus perpauci Idumaei idololatriae dediti essent, plurimi autem iam pridem Mosaimum amplexi fuerint. Non est, quod commemoremus, Idumaeos Judaeorum vicinos fuisse hisque in libro Deuteron. XXIII. 7. commendatos; nec de Davide loquemur, qui cum collecta manu suorum aliquamdiu in Idumaea vixit [2]): sed hoc silentio non praetereundum est, relatum legi [3]), temporibus Ezechiae, regis Judaeorum, Pletaiam, Nehariam, Rephaiam et Usielem cum quingentis Simeonitis in montana Seir, in ipsam igitur Idumaeam, commigrasse, Amalecitas aborigines in ea exstirpasse, hancque terram ditione tenuisse. Fieri autem potest, ut magnus numerus Judaeorum, praesertim post eversam a Nebucadnezaro Hierosolymam, exemplum Simeonitarum secutus sit, in Idumaeam commigraverit in eaque terra ita se diffuderit et propagaverit, ut tempo-

---

canus etiam Idumaeae urbes capit Adora et Marissam: subactisque omnibus Idumaeis permisit in regione sua manere, si pudenda circumcidere Judaeisque legibus uti vellent. Antiquit. XIII. 17. *Edit. Coloniens.* seu potius *Lipsiens.* p. 450. *Havercamp.* XIII. 9. p. 659.

1) 1 *Maccab.* XVI. 21.

2) 2 *Samuel.* XXV. 1.

3) 2 Chron. V. 42. 43.

ribus Hyrcani speciem Judaicae provinciae praeferret. Hyrcanus haec forsan considerans, genus ac originem, mores ac instituta Idumaeorum, vel alias causas, quas hodie ignoramus, secum reputans, cur hunc populum Mosaismo non repugnaturum speraret, hanc eidem religionem tanto successu edixit, ut dehinc Idumaea pars regni Judaici haberetur.

Vestigia denique, ne dicam diserta testimonia, plane desunt, priscos Judaeos oracula Abrahamo et Jacobo de salutifera progenie data, hoc modo accepisse: *In te omnes terrarum gentes beatos sese praedicabunt.* Ven. Vater[1]) recte quidem docet, significationem reflexam, quam grammatici dicunt, quae in forma *Hithpaël* obtinere solet, a forma *Niphal* non omnino esse alienam; sed nullum exemplum protulit, ex quo intelligatur, Hebraeos verbo הִבָּרֵךְ significatione reflexa usos esse. Ex versione Septuaginta Graecorum, ἐνευλογηθήσονται, satis apparet, quod verbum נִבְרְכוּ solita significatione passiva acceperint. Et iuxta hanc interpretationem causa non defuit, cur Judaei ortus originisque Abrahamicae causa Jesu Servatoris aetate se beatos praedicarent. Quare autem omnes terrarum gentes in his oraculis dicantur, sive, se Abrahami causa beatas praedicaturas, sive, eas per Abrahamum beatum iri, plane non videmus, si Messiam in iisdem praedictum neges. Nam per Messiam eiusque apostolos, seu potius per Christianismum Abrahamus exteris nationibus innotuit, eiusque in Deum pietas huiusque virtutis eximium praemium,

---

1) In *Commentar über den Pentateuch*, ad Genes. XII. 3.

filii conservatio promissioque laetissima, se progenitorem fore sobolis, terrarum orbem beaturae. Operae pretium est, diligenter in memoriam revocare, quanto studio non multo post apostolorum tempora sapientissimi maximique terrarum populi Polytheismum deseruerint et Christianismum amplexi sint, et ad quod fastigium cognitionis, humanitatis et prosperitatis idem Christianismus ad nostra usque tempora omnes terrarum populos, qui eum sequuntur, evexerit. Ubi autem ea considerantur, quae hodie, quasi ante oculos nostros, in remotissimis terris, versus Austrum et Eoum sitis, in religionis propagandae negotio, praesertim studiis, summa laude maximoque successu dignissimis, Societatum sic dictarum Biblicarum geruntur: spes magis magisque affulget, fore, ut omnes terrarum gentes per Abrahami progeniem salventur et impleatur eventu id, quod Jesus praedixit, unum tandem fore ovile, unum pastorem! [1])

Verum enim vero his similibusque argumentis non opus est. Nam vestigia, seu potius indicia in Novo Testamento aliquot supersunt, ex quibus apparet, Judaeos tempore Christi haec oracula neque de Abrahamo, neque de se, eius posteris, sed in specie de uno quodam, omnium posterorum Abrahami praeclarissimo, accepisse.

Jesus istam enarrationem sine dubio secutus est, dicens: *'Αβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν· καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη* [2]). Similiterque

---

1) *Joan.* X. 16.
2) *Joan.* VIII. 56.

Petrus apostolus [1]): Ὑμεῖς ἐστε οἱ υἱοὶ τῶν προφητῶν καὶ τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο ὁ Θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, λέγων πρὸς Ἀβραάμ καὶ ἐν τῷ σπέρματι σου ἐν ευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. Ὑμῖν πρῶτον ὁ Θεὸς ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ, ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ἡμᾶς κ. τ. λ. Paulus eandem enarrationem secutus videtur loco vexato Galat. III. 16.) [2]) Τῷ δὲ Ἀβραάμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Οὐ λέγει· καὶ τοῖς σπέρμασιν, ὡς ἐπὶ πολλῶν, ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός καὶ τῷ σπέρματί σου· ὅς ἐστι Χριστός.

CAPUT V.

Continuatio disputationis de Messiano decreto ad Israelitas perlato. De origine Samaritanismi eiusdemque potissimis dogmatibus.

Quantum fieri potuit in indaganda ratione, ob testimoniorum defectum admodum obscura, qua decre-

---

1) *Acta Apost.* III. 25. 26.

2) Varias interpretum huius loci post Joa. Christoph. Wolfium in *Curis philol. ad h. l. pag.* 725. haud ita pridem congessit C. F. Bonitius in libello titulum praeferente: *Plurimorum de loco Pauli Galat. III.* 20. *sententiae examinatae. Lips.* 1800. atque ex hoc Ven. Elias Ann. Borgerus in *interpretat. epistolae ad Galat. pag.* 202 sqq. Miramur, Desid. Erasmum in *Annotat. iu Nov. Test. ad h. l.* S. Hieronymum perstrinxisse, quasi scripserit, Paulum torsisse S. Scripturam ad suum argumentum, a qua culpa

tum Judaeorum Messianum Israelitis ante deportationem illorum in Chaldaeam innotuisse probabile sit, monstrare conati sumus, Israelitas Mosaizantes de eximio viro, de quo Judaeorum vates canebant, secus statuere non potuisse atque Judaeos, a quibus dogma Messianum originem traxit et ad Israelitas perlatum est. Prophetarum Judaeorum de Messia multa supersunt vaticinia, prophetarum Israelitarum nulla. Vel vestigia in omnibus Judaeorum sacris libris desunt, ex quibus colligi possit, fuisse inter Israelitas, qui de Messia vaticinati sint. Nec ipsi recentiores Samaritae hoc nomine gloriantur: sed Mopharredschius ingenue ait *nostri doctores de eo tradunt* etc.

Josia regnante cum Israelitae fere omnes idololatriam abiicerent huiusque superstitionis varia instrumenta, statuas et aras deorum lucosque sacros perfringerent atque exscinderent Hierosolymamque festorum celebrandorum causa rursus adirent: dubium non est,

---

summum hunc virum immunem iudicabit, quicunque eum legerit hunc locum candide et pie, prout solitus est, exponentem. Quem vero et Theodorum Bezam, ipsum summum interpretem horumque antesignanum, qui vocem Χριστός hoc loco non de Christo Jesu, sed de eius sectatoribus accipiunt, vel contumelia affecisse, valde dolemus. Suspicamur, eum Hieronymi verba aut non satis accurate legisse, aut de eis ex memoria, solertissimos nonnunquam fallente, iudicium fecisse. Haud aliter de iis iudicamus, qui comminiscuntur, praeeunte Hieronymo inter interpretes disceptatum esse, utrum hoc loco Paulus de Jesu, aut de eiusdem ecclesia scripserit? Hieronymus hac de re nihil plane memorat, sed hunc locum de Jesu enarrat.

quin omnia Judaeorum dogmata eis innotuerint. Nam satis verisimile videtur, intervallum octodecim annorum, quod ab instaurato apud eos Mosaismo usque ad Josiae praematuram mortem intercessit, suffecisse, ut ista dogmata accurate ab eis cognoscerentur. Quamvis Josiae in regno successores quatuor, Joahas et Eliakim seu Jochakim, eius filii, ac Jochachim et Sedechia, eius nepotes, per viginti annos patris avique exemplum haud sequerentur, sed idololatriam, ab illis feliciter eiectam, amplecterentur eamque in Israelitide instaurarent: nihilosecius ea, quae idem ille Josias ad reducendos ad Mosaismum Israelitas instituerat, non omnino post eius mortem incassum instituta fuisse, ex rebus istis cognoscitur, quae non ita multo post Sichemae gesta sunt.

Exstructo enim altero Hierosolymitano templo repulsisque a Sorobabele, principe Judaeorum, Samaritidis incolis, tam indigenis, quam alienigenis, in societatem huius templi Anno M. 3485. admitti cupientibus [1]), post annos centum et octoginta duos Sanballathus, genere Cuthaeus, a Dario Codomano satrapa in Samariam missus [2]), in monte Garizim, qui adiacentibus montibus celsior [3]), oppido Sichem maxime imminet, templum, Hierosolymitano haud absimile, excitavit, eiusque pontificem summum Manassem, generum suum, Jaddi pontificis principisque Hierosolymitani fratrem, constituit. Nam cum ab Esra populoque Ju-

1) Esra IV. 1. 2. 3.

2) Joseph. *Antiquitat.* XI. 7. *Colon. pag.* 383.

3) Joseph. *Antiquitat.* XI. 8. *Colon.* pag. 383.

daeo cautum esset [1]), ne quis alienigenam uxorem duceret, ductae autem remitterentur; post annos centum et triginta, et quod excurrit, accidit, ut multi, tam plebeii, quam proceres sacerdotesque, et inter hos Manasse, cui Nicaso, Sanballathi filia, nupserat, huiusmodi connubiis illicitis implicati essent. Postulantibus autem Judaeis, ut Manasse vel uxorem repudiaret, vel ad altare non amplius accederet: hic, cogentibus popularibus morem non gerens, et a fratre Jaddo sacerdotio exutus et ab altari remotus, ad socerum Sanballathum Anno M. 3671 profectus est, qui, ne filia sua a Manasse repudiaretur hicque solatio de amisso sacerdotio Hierosolymitano afficeretur, impetrata Alexandri M. Macedonis venia [2]), templum in monte Garizim exstruxit. Josephus refert, multos sacerdotes et plebeios ad Manassem defecisse, Sanballathumque eis numos agrosque benigne distribuisse: ita ut his temporibus quilibet Judaeus ad Sichemitas confugerit, qui illiciti comesi cibi aut violati sabbathi aut similis delicti Hierosolymis reus ageretur, calumniam se passum dictitans [3]).

Josephus utique reticuit, cui deo Sanballathus novam aedem Garizimitanam dedicaverit: sed nusquam in libris suis memoriae prodidit, eum idolis vel extra-

---

1) Esra X. 2. 10 sqq. Nehem. XIII. 23. 28. Connubia ista cum alienigenis uxoribus omnino vetita erant, non sine causa idonea, Exod. XXXIV. 16. Deuteron. VII. 2.

2) Joseph. *Antiquitat.* XIII. 17. *Colon. pag.* 450. *Haverc.* XIII. 9. pag. 659.

3) Joseph. *Antiquitat.* XI. 8. *Colon.* pag. 384. 386. *Haverc.* pag. 579. 582.

nearum gentium, ex Assyria in Samariam commigratarum, vel indigenarum Israelitarum hoc templum sacrasse. Neque idem Josephus, Samaritarum, utpote Judaeus, inimicus, retulit, Manassem cum ceteris Judaeis, qui Sichemam confugerant, a Mosaismo ad idolatriam descivisse, neque ullibi scriptum reliquit, Samaritas Sanballathi temporibus Polytheismo deditos fuisse. Quare eius silentium de religione cultuque Samaritarum in templo Garizimitano perinde habemus, ac si ingenue professus sit, eos Jehovam adorasse. Praeterea, nisi ea, quae Ezechias, potissimum Josias ad reducendos ad Mosaismum Israelitas instituerant, altas in his terris radices egissent, ita ut neque Hierosolymorum excidium, neque diutina Judaeorum captivitas in Babylonia hanc religionem in Samaritide prorsus exstinxerint: nequaquam verisimile videretur, Manassis exemplum tot Judaeos esse secutos. Sanballathus, egregiam occasionem capiendorum altiorum consiliorum nactus eamque non praetermittendam esse intelligens, templum in monte Garizim aedificavit, nullus dubitans, quin Cuthaei, oppidi Sichem incolae alienigenae, cum indigenis Israelitis ac profugis Judaeis, postquam templum excitatum foret, in corpus unius populi esse concreturos. Quae spes eum non fefellit.

Post eius obitum ipsa Judaeorum profugorum multitudo effecit, ut non solum tranquilli et securi in Samaria viverent, sed etiam principatum in ea tenerent. Quae gens recens condita, atque, uti et Romanus populus sub rege Romulo, ex multis nationibus conflata, quam aliena his temporibus, in ipsis igitur Samarita-

nismi primordiis, ab idololatria fuerit, ex lepida fabula, in Chronico Josuae Samaritano narrata [1]), docere quidem haud gestimus: sed hoc silentio non praetereundum existimamus, annis centum et sexaginta post et ultra, postquam aedes Garizimitana exstructa fuit, eam, templi Hierosolymitani instar, ἀνώνυμον ἱερὸν fuisse. Nam cum Antiochus Epiphanes, Syriae rex, Judaeos adigere aggrederetur, ut Mosaismum abiicerent et Polytheismum Graecorum amplecterentur, Samaritae in epistola ad eum conscripta, rogarunt, προσαγορευθῆναι γεν τὸ ἀνώνυμον ἱερὸν Διὸς Ἑλληνίου. γενομένου γὰρ τούτου παυσόμεθα μὲν ἐνοχλούμενοι· τοῖς δ' ἔργοις μετ' ἀδείας προσανέχοντες μείζονάς σοι ποιήσομεν τὰς προσόδους: *Ut templum, quod nullius dei titulum haberet, Jovis Graecanici vocaretur: quo facto a molestiis liberi erimus operibusque sine metu vacantes, maiora tibi poterimus tributa solvere.* [2]). Josephus haec memorans sine

---

1) Capite XLIV. *Samaritanis reliquisque Judaeis ab Alexandro imperatum, ut statuas more gentium erigerent, cuius mandato ut satisfacerent, infantes recens natos nomine Alexandri appellari illi voluerunt. Unde cum ex Aegypto redux a Judaeis, ubinam statuae essent? rex percontaretur, statim illi, productis filiis, exclamarunt: hae, o rex, sunt statuae vivae, quibus nomen tuum imposuimus singulis.* Apud Joa. Henr. Hottingerum ad calcem *Exercitation. Antimorinian.* pag. 116. Eadem fabula in Abu Phetachi Chronico Samaritano exstat, conf. *Acta eruditor.* 1691. pag. 169.

2) Josephi *Antiquitat.* XII. 7. *Colon.* pag. 410. *Haverc.* XII. 5. pag. 610.

dubio Samaritas redarguisset, si in aede Garizimita idola, exempli causa columbam, adorassent. Dum eos autem castigat, quod, Antiochum placaturi, templum suum Jovi Graecanico dedicassent, insigne testimonium scriptum reliquit, hanc aedem Jehovae sacram fuisse, dicens: *ταῦτα δὲ βλέποντες οἱ Σαμαρεῖται πασχοντας τοὺς Ἰουδαίους, οὐκέθ' ὡμολόγουν αὐτοὺς εἶναι συγγενεῖς αὐτῶν, οὐδὲ τὸν ἐν Γαριζεὶν ναὸν τοῦ μεγίστου θεοῦ, τῇ φύσει ποιοῦντες ἀκόλουθα, ἣν δεδηλώκαμεν, καὶ λέγοντες αὐτοὺς Μήδων ἀποίκους καὶ Περσῶν· καὶ γάρ εἰσι ἄποικοι. Samaritae autem cum viderent Judaeos hac calamitate vexatos, non amplius se profitebantur cognatos eorum, neque templum Garizimitanum esse Dei maximi, nil absonum facientes ab ingenio suo, quod, quale sit, docuimus, dicentes, se esse Medorum et Persarum colonos, a quibus utique profecti sunt.* [1])

Haec ex Flavio Josepho, ipsomet quidem Judaeo, sed Rabbinis fide multo digniore auctore, retulimus, ut eorundem Rabbinorum commenta retegerentur, Samaritas in templo Garizimitano idola adorasse, quibus nugis tam multos ex suis, quam plurimos s. scripturarum interpretes christianos deceperunt. Hoc unum addam, quod Eupolemus atque ex hoc Alexander Cornelius, cognomine Polyhistor, qui captus L. Sullae tempore servus in Italiam venit et Romae incendio periit, de Abrahamo apud Eusebium Pamphili scriptum reliquit: *ξενισθῆναί τε αὐτον ὑπὸ πόλεως ἱερὸν, Ἀργαριζίν, ὅ εἶναι μεθερμηνευόμενον ὄρος Ὑψίστου· παρὰ δὲ τοῦ Μελχισεδὲκ ἱερέως ὄντος τοῦ θεοῦ καὶ βασιλεύοντος*

1) *Loco modo laudato, paulo ante.*

λαβεῖν δῶρα: *hospitio eum susceptum fuisse in sacro urbis Argarize, hoc est, Altissimi monte, eumque a Melchisedeco, dei sacerdote, qui ibidem regnabat, dona accepisse* [1]). Ex hoc testimonio constat, scribendi modum, quo et hodie Samaritae utuntur, ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ, antiquissimum esse et Christi tempora superare, licet in interpretanda hac voce sive EUPOLEMUS ipse, sive ALEXANDER POLYHISTOR, sive EUSEBIUS PAMPHILI, qui hunc loquentem introduxit, erraverint.

Simulac templum Garizimitanum exstructum fuit, ingenti animorum commotione veteres simultates, quae inter Judaeos et Samaritas inde a temporibus Rehaboami intercesserant, resuscitatae ac propter Judaeos profugos novis causis irarum auctae sunt, tantoque studio a Judaeis pro templo Hierosolymitano et a Samaritis pro nova aede Sichemitana disputatum fuit, ut, cum illi ex testimoniis sacrorum librorum docerent, Jehovam sibi montem Sioneum templumque in eo exstructum elegisse, isti, omnem disputationis locum ex his libris praeclusuri, eos omnes, praeter Pentateuchum, ceu spurios et Mosaismo contrarios, reiicerent.

Quo facto, qui et quales sint Judaei Sichemitani, quidve spectent? Hierosolymitani satis intellexerunt. Fieri igitur potuit, ut hanc impiorum desertorum et exterorum colluviem a societate sacrorum arcerent dirisque illis eam exsecrarentur, quarum exemplum apud R. ELEASARUM superest [2]). Proceres autem sacerdo-

---

1) *Praeparatio Evangel.* IX. 17. pag. 419 utriusque editionis LUTETIANAE 1628 et *Coloniensem* potius *Lipsiens.* 1688.

2) פרקי *caput* XXXVIII. e. c. apud JOA. BUXTORFIUM filium, in *Dissertat. philologico-theol. pag.* 217.

tesque Judaeorum Sichemitarum cum suspicarentur, Judaeos Hierosolymitanos templum cultumque numinis Garizimitarum aequo animo laturos non esse, de condenda nova secta, Judaeis Hierosolymitanis opponenda, animum applicuerunt. Equidem affirmare non ausim, omnes Israelitas novas has partes secutos esse, licet satis verisimile videatur, plurimos ex eis religionem, in ipsa patria recens conditam, amplexos esse, quoniam cum Judaeis profugis in unum populum concreverunt. Nam uti probabile non videtur, tantam Judaeorum multitudinem Hierosolyma aufugisse, ut omnes ab ea Samaritidis vici et oppida impleta fuerint [1]), ita non videremus, quare Judaei indigenas eiusdem terrae Israelitas, a suis partibus stetissent, aeque odissent, ac profugos cives suos, templi Hierosolymitani desertores. Post duo secula hic populus tam validus fuit, ut Joannes Hyrcanus excercitum in Samariam bis moverit. Prima expeditione Sichemam templumque Garizimitanum cepit et diruit [2]): altera ipsam munitissimam urbem Samariam, post integrianni obsidionem captam, funditus delevit [3]). Nihilosecius Samaritae

---

1) Josephus, qui multos Hierosolyma aufugisse dicit, nihilosecius de solo oppido Sichem loquitur. *Σίκιμα — κειμένην πρὸς τῷ Γαριζεὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους: Sichem — urbem apud montem Garizim positam et a desertoribus Judaicae gentis habitatam. Antiquit.* XI. 8. *Colon.* pag. 386. *Haverc.* pag. 582.

2) Joseph. *Antiquitat.* XIII. 17. *Colon.* p. 450. *Haverc.* XIII. 9. p. 659.

3) *Idem in eodem libro* c. 18. *Colon.* p. 452. *Haverc.* XIII. 10. p. 661. 661.

ut non solum Judaeos, per ipsorum tractum Hierosolymam proficiscentes, interficerent, sed etiam non multo post signis collatis cum Romanis proeliarentur, novissime Justiniani Augusti temporibus, quibus decem myriadas huius populi in uno proelio ad internecionem caesas esse, PROCOPIUS retulit [1]).

Auctores Samaritanismi, quantum quidem hodie ex Samaritarum litteris, ad Europaeos datis, colligi licet, bina Judaeis Hierosolymitanis opposuerunt religionis dogmata, unum omnes Judaeorum sacros libros, Pentateucho solo excepto, esse reiiciendos, una cum lege sic dicta orali seu traditionibus maiorum: alterum, Jehovam non nisi in templo Garizimitano esse colendum.

Praeterea nonnulla capita decreti Messiani variarunt et docuerunt, magnum venturum prophetam, ubi tabernaculum sanctum ad lucem protraxisset montique Garizim imposuisset, moriturum esse ac Sichemae sepultum iri.

In ceteris religionis potissimis dogmatibus ab Hierosolymitanis Judaeis non dissensisse videntur: gloriantur autem hodie, quod Judaeos in observatione praeceptorum Mosis longe post se relinquant. Supersunt quoque testimonia, Samaritas, ubi a probrosis sordidisque initiis se purgassent, tanta fide Mosaismum esse secutos, ut hoc nomine vel veteribus Judaeis sese probaverint.

OBADIAS DE BARTENORA de eis enim ait [2]): וְהַכּוּתִי

---

1) In *Historia Arcana* cap. XI.

2) *Super tractatum* ברכות cap. VII. 1.

מן הע״א שהביא מלך אשור מכותא ומשאר ארצות ויושב אותם בערי שומרון ונתגיירו מאימת האריות שהיו אוכלים בהם במפורש בספר מלכים והיו שומרים תורה שבכתב וכל מצוה שהחזיקו בה מדקדקים בה יותר מישראל לפיכך היו מאמינים בהם במקצת המצות עד שבדקו אחריהם ומצאו להם דמות יונה בראש הר גריזים שהיו עובדים אותה ומאז עשאום כגוים גמורים לכל דבריהם: *Cuthaei sunt ex idololatris, quos adduxit rex Assyriae ex Cutha et reliquis terris quosque in urbibus Samariae collocavit. Proselyti autem facti sunt ob terrorem leonum, qui illos devorabant, ut expositum est in libro regum, observabantque legem scriptam, et omne praeceptum, quod tenuerunt, id longe diligentius et accuratius observabant, quam ipsi Israelitae: idcirco credebant in ipsos in quibusdam praeceptis, donec inquisiverunt in ipsos et penes ipsos invenerunt imaginem columbae in vertice montis Garizim, quam colebant. Et ex eo tempore fecerunt eos sicut puros putos gentiles, in omnibus ipsorum rebus.*

Similiterque R. MAIMONIDES de eis dicit [1]): ובכאן אפרש לך ענין הכותיים העם שהביא סנחריב מכותה והושיב בערי שומרון העיר הכתוב בהם את ה׳ היו יראים ואת אלהיהם היו עובדים אבל באורך הימים למדו התורה וקבלו על פשוטה והמצות אשר החזיקו בהן היו מקפידים עליהן וישימו לבם אליהן מאד והוחזקו שהיו מאמינים בדתינו ומיחדיים ולא יעבדו ע״א עד אשר חקרו עליהם חכמים ומצאום מכבדים הר גריזים וחקרו על הדבר ההוא ומצאו להם בהר ההוא דמות

1) *Super eundem tractatum*, cap. VIII. 8. Utrumque testimonium Obadiae et Maimonidis etiam Jo. HENR. HOTTINGER in *Exercitat. Antimor. pag.* 14 sq. cum lectoribus communicavit.

יוֹנָה וַיֵּדְעוּ שֶׁהֵם עוֹבְדִים ע״א אָז הֶחֱזִיקוּם בְּחֶזְקַת ע״א גְמוּרִים לְכָל דִּבְרֵיהֶם: *i. e. Hic vero explicabo tibi negotium Cuthaeorum, qui sunt populus, quem Sancherib duxit ex Cutha et in urbibus Samariae collocavit. De illis testatur Scriptura, quod Deum quidem timuerint, sed idola simul coluerint. Verum tractu temporis didicerunt legem, et eam acceperunt secundum sensum literalem suum: praecepta autem, quae apprehenderunt, accuratissime observabant, corque suum iis valde apponebant, adeo, ut habiti fuerint pro credentibus in legem nostram et unum solum Deum colentibus, sine ulla idololatria, donec sapientes in ipsos inquirentes deprehenderunt, quod colant montem Garizim ac porro etiam diligentius inquirentes invenerunt penes ipsos in eodem monte columbae imaginem, unde intellexerunt, eos idololatras esse. Tunc eos habere coeperunt pro puris idololatris in omnibus ipsorum rebus.*

Quare mirum non est, Samaritas recentiores in litteris ad Europaeos conscriptis contendere, quod multo diligentius et accuratius legem Mosaicam observent, quam Judaei. Nam, ut alia loca silentio transeam, his verbis ad Josephum Scaligerum Ab Sehuta, sacerdos Sichemitanus, usus est: [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

ࠀࠌࠍ࠰ ࠉࠄࠅࠄ࠰ ࠌࠔࠄ࠰ ࠅࠕࠅࠓࠄ࠰ ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ࠰
i. e. in Deum credimus et Mosen, et legem et montem Garizim: et ad hunc montem conversi deum adoramus: Judaei vero alia profitentur: nihil agimus, nisi iuxta praecepta Domini in lege sancta per manum Mosis, cui sit pax in aeternum! descripta: Judaei vero negligunt ea, quae praecepit Dominus in lege et illa faciunt, quae ipsis praecipiunt doctores et senes sui[1]).

Samaritas sacros Judaeorum libros historicos, poëticos et propheticos hanc ob causam reiecisse, ut speciem prae se ferrent, quod non nisi genuino puroque Mosaismo studerent, paulo ante diximus. Satis autem patet, conditores auctoresque Samaritanismi totos in eo fuisse, ut auram Judaeorum perfugorum captarent, qui cum uxores alienigenas, propter causas, quas nemo non intelligit, repudiare ceterisque maiorum praeceptis ac legibus obtemperare nollent, in Samariam se contulerant, in qua terra eis cum maiori licentia vivere liberosque, ex extraneis coniugibus sublatos, educare licitum fuit. Nam Manasse, cum ceteris Samaritanismi auctoribus, quicunque demum fuerint, intellexerunt, temporibus esse inserviendum seque oportere in re uxoria aliisque levioribus delictis faciles erga Judaeos profugos praebere. Dum conditores Samaritanismi libros omnes Judaeorum sacros, praeter Pentateuchum, reiicerent damnarentque, haud obscure

---

1) In *Repertor. für biblische und morgenländ. Litterat.* XIII. 261. Conf. *Epistola Samaritarum ad* Jobum Ludolfum *tertia, in eodem volumine eiusdem Repertorii* pag. 282 sqq.

innuerunt, pessime egisse Judaeos, quod Mosaismum novis dogmatibus, placitis ac opinionibus ampliarint et quasi inquinaverint. Nihil prius eis faciendum visum est, quam hos libros et traditiones maiorum repudiare, quasi tunc demum spes affulgeat, fore, ut Mosaismus nitori atque integritati suae restitui possit.

Libros Samaritarum liturgicos, quos dicunt, haud novimus ideoque nos fugit, num in iis praestantissimae Psalmistarum ac Prophetarum de Deo O. M. cogitationes ac ideae reperiantur. Samaritas his imbutos altosque esse, valde dubitamus, cum et Jesus iam pridem in eis pleniorem accuratioremque numinis cognitionem desideraverit, dicens ad Samaritanam mulierem: *ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε· ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὃ οἴδαμεν· ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν* [1]). Sed rectius forsan haec de monte Garizim intelliguntur [2]), in quo Samaritae Deum colendum sanxerant, ad quem montem conversi post dirutam sacram aedem ad hunc usque diem precari soliti sunt. Inde quoque patet, quid de Maimonidis narratione statuendum sit, de Samaritanis montem Garizim colentibus. Cum suis doctoribus hanc Samaritarum consuetudinem castigat, sed de simili ritu Judaeorum orientalium, qui precaturi plagam Hierosolymorum spectant, tacet.

Quod auctores Samaritanismi legem oralem, תורה שבעל פה seu traditiones placitaque maiorum reiecerint, mirum non est, cum multo graviores praestantioresque Judaeorum libros Mosaismi causa, in integrum resti-

1) *Joan.* IV. 22.

2) Conf. *ven.* Christ. Theoph. Kuinoel *Comment. ad h. l.*

tuendi, damnaverint. In explicandis traditionibus maiorum, non ita multo post conditum Samaritanismum, Pharisaeos Hierosolymis excelluisse easque anno post Christum natum centesimo quinquagesimo a celeberrimo Juda Hakkadosch litteris mandatas esse hodieque sub nomine Misohnae circumferri, neminem facile fugit.

Templum Garizimitanum quod attinet, Samaritae montem Garizim prae ceteris Palaestinae montibus sacrum Deoque gratum esse ex variis locis Pentateuchi collegisse ac probasse videntur. Forsan huius montis sanctitatem demonstrarunt ex historia Abrahami, qui, terram Canaan ingressus, primus Deo patrio aram ad radices huius montis erexit [1]): aut ex historia Jacobi, idola uxorum suarum subter terebinthum Sichemitanum infodentem [2]): praeprimis autem hanc ob causam, quod, iuxta praeceptum Mosis [3]), in hoc monte omnibus Hebraeis benedictum est, Mosaismum bona fide secuturis. Ad hunc diem iste mons a Samaritanis *benedictus* vocatur eumque in omnibus fere epistolis, ad Europaeos perlatis, hoc nomine ornarunt. Vel Josuam in Chronico tradunt hoc in monte templum arcemque excitasse nullaque sacrificia, nisi ad huius montis aram obtulisse [4]). Rursus Adrianus Relandus docet, Hottingerum humani quid passum esse, lo-

---

1) *Genes.* XII. 7.
2) *Genes.* XXXV. 4.
3) *Deuteron.* XI. 29. *Josua* VIII. 33.
4) Teste Joa. Henr. Hottingero in *Exercitt. Antimorinianis*, pag. 112.

cum hunc Chronici Samaritani corrumpentem aut male interpretantem: وبنا يوشع الملك حصن علي الجبل من شامي طور بريك ايعرى بشمرون *construxit Josua rex arcem super montem, qui est ad sinistrum latus montis benedicti, qui dicitur schomroni,* quem Hottingerus verterat: *Josua in monte benedicto, id est, Samaritano, non tantum arcem, sed et templum in eius vertice construxit.* Sed ipsemet Relandus [1]), ex hoc loco colligens, montem Schomron, in quo urbs Samaria condita fuit [2]), *benedictum* audisse, erravit. Suspicamur, chronicon Samaritanum hoc in loco vitio interpretis arabici laborare.

Prisci Samaritani, sanctitatem montis Garizim extra omne dubium posituri, vel fraude usi sunt. Locum enim Deuteron. XXVII. 4. — והיה בעברכם את הירדן תקימו את האבנים האלה אשר אנכי מצוה אחכם היום בהר עיבל ושרת אותם בשיד: *itaque quando transieritis Jordanem, erigetis lapides istos, quos ego vobis hodie praecipio in monte Ebal et linies eos calce,* corruperunt scripseruntque ࠁࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ *in monte Garizim.* Licet Beniam. Kennicotus hanc codicis Samaritani lectionem vindicare conatus sit [3]), nihilosecius eius argumenta ita comparata sunt, ut in Germania saltem vix quemquam hodie eis assensurum inveniant. Etenim si, prout re in dubia decet, vetustissimos interpretes consulas, non solum nullum invenies Samari-

1) In *Dissertat. Miscellan.* I. 125.

2) 1 Reg. XVI. 24.

3) In *Dissertatione* II. *super ratione textus hebraei veteris Testamenti,* p. 17 sqq.

tano codici suffragantem, sed etiam re paulo curiosius explorata, intelliges, a nemine, nisi a Samaritis hanc depravationem proficisci potuisse, qui et Decalogo longum additamentum, undecimum quasi praeceptum, obtrudere aggressi sunt, quod cum lectoribus communicamus, qui Bibliis polyglottis Parisiensibus aut Londinensibus carent. Post Decalogum Exod. XX. 17. Deuteron. V. 21. Sichemitae haec addiderunt:

ࠅࠄࠉࠄ· ࠊࠉ· ࠉࠁࠉࠀࠊ· ࠉࠄࠅࠄ· ࠀࠋࠄࠉࠊ· ࠀࠋ· ࠀࠓࠑ· ࠄࠊࠍࠏࠍࠉ· ࠀࠔࠓ· ࠀࠕࠄ· ࠁࠀ· ࠔࠌࠄ· ࠋࠓࠔࠕࠄ· ࠅࠄࠒࠌࠕ· ࠋࠊ· ࠀࠁࠍࠉࠌ· ࠂࠃࠋࠅࠕ· ࠅࠔࠃࠕ· ࠀࠕࠌ· ࠁࠔࠉࠃ· ࠅࠊࠕࠁࠕ· ࠏࠋ· ࠄࠀࠁࠍࠉࠌ· ࠀࠕ· ࠊࠋ· ࠃࠁࠓࠉ· ࠄࠕࠅࠓࠄ· ࠄࠆࠀࠕ· ࠅࠄࠉࠄ· ࠁࠏࠁࠓࠊࠌ· ࠀࠕ· ࠄࠉࠓࠃࠍ· ࠕࠒࠉࠌࠅ· ࠀࠕ· ࠄࠀࠁࠍࠉࠌ· ࠄࠀࠋࠄ· ࠀࠔࠓ· ࠀࠍࠊࠉ· ࠌࠑࠅࠄ· ࠀࠕࠊࠌ· ࠄࠉࠅࠌ· ࠁࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ· ࠅࠁࠍࠉࠕ· ࠔࠌ· ࠌࠆࠁࠇ· ࠋࠉࠄࠅࠄ· ࠀࠋࠄࠉࠊ· ࠌࠆࠁࠇ· ࠀࠁࠍࠉࠌ· ࠋࠀ· ࠕࠍࠉࠐ· ࠏࠋࠉࠄࠌ· ࠁࠓࠆࠋ· ࠀࠁࠍࠉࠌ· ࠔࠋࠌࠅࠕ· ࠕࠁࠍࠄ· ࠀࠕ· ࠌࠆࠁࠇ· ࠉࠄࠅࠄ· ࠀࠋࠄࠉࠊ· ࠅࠄࠏࠋࠉࠕ· ࠏࠋࠉࠅ· ࠏࠅࠋࠕ· ࠋࠉࠄࠅࠄ· ࠀࠋࠄࠉࠊ· ࠅࠆࠁࠇࠕ· ࠔࠋࠌࠉࠌ· ࠅࠀࠊࠋࠕ· ࠔࠌ· ࠅࠔࠌࠇࠕ· ࠋࠐࠍࠉ· ࠉࠄࠅࠄ· ࠀࠋࠄࠉࠊ· ࠄࠄࠓ· ࠄࠄࠅࠀ· ࠁࠏࠁࠓ· ࠄࠉࠓࠃࠍ· ࠀࠇࠓࠉ· ࠃࠓࠊ· ࠌࠁࠅࠀ· ࠄࠔࠌࠔ· ࠁࠀࠓࠑ· ࠄࠊࠍࠏࠍࠉ· ࠄࠉࠔࠁ· ࠁࠏࠓࠁࠄ· ࠌࠅࠋ· ࠄࠂࠋࠂࠋ· ࠀࠑࠋ· ࠀࠋࠅࠍ· ࠌࠅࠓࠄ· ࠌࠅࠋ· ࠔࠊࠌ =:·

i. e. cum autem introduxerit tė Dominus Deus tuus in terram Cananaeorum, ad quam vadis possidendam, eriges tibi duos lapides magnos ét oblines eos calce scribesque super lapides istos omnia verba legis huius.

Postquam etiam transiveris Jordanem, statues lapides istos, quos ego praecipio vobis hodie in monte Garizim et aedificabis ibi altare Domino Deo tuo, altare lapideum. Non elevabis super eos ferrum. Ex lapidibus informibus aedificabis altare istud Domino Deo tuo, et offeres super illud holocausta Domino Deo tuo et sacrificabis pacifica et comedes ibi et laetaberis coram Domino Deo tuo in monte isto ultra Jordanem, post viam occasus solis in terra Canaan [1]*, sito in planitie, e regione Gilgal, iuxta terebinthum More, versus Sichemam.* Hoc additamentum sine dubio ex Deuteron. XXVII. 2. 3. 4. 5. 6. 7. conflatum est. Sed fraus atque temeritas Samaritanorum in corrumpendis adulterandisque plurimis Pentateuchi locis, aeque ac eorundem socordia in negligendis omittendisque aliis locis, quae eorundem rem iuvassent, satis nota est, v. c. Exod. XX. 24. Deuteron. XII. 5. 11. 13. 14. 24 etc. Si quis autem obiiciat, nondum extra dubium positum esse, num longum illud additamentum Samaritani codicis sub ipsum finem Decalogi antiquitus exstiterit: huic iniungendum erit, causas exponere, quae Salomonem impulerint, templum Hierosolymis exstruere, quod iuxta praeceptum Mosis in monte Garizim excitandum erat? Aut cur nusquam Ephraimitae conquesti legantur, quod Salomo templum in monte Sion seu Moria erexerit? Si Judaei gravati non sunt, tabernaculum sanctum, tam Schilunte, quam Sichemae, antequam templum Hierosolymitarum excitatum esset,

1) Perperam haec verba in Polyglottis redduntur, *in terra Cananaei habitantis in planitie* etc.

adire atque in hisce locis rem sacram facere: non videmus, quare templum, in tractu Ephraimitarum excitatum, adire noluissent, si Moses praeceperat, ut in monte Garizim exstrueretur? Salomonico aevo certe perinde fuit, hoc templum in tractu Judaeorum, aut Beniaminitarum, aut Ephraimitarum aut in aliis Palaestinae regionibus erigere, Salomoque, seu potius Nathan vates, magister eius et amicus, omnino censendus est, nullibi hoc templum, nisi in eo loco, quem Moses disertis verbis indicaverat, erecturus fuisse. Causa quoque defuit, qua Judaei commoti, aram, iuxta Mosis praeceptum in monte Ebal erigendam, in monte Garizim erigere maluissent. Samaritarum autem, seu potius Judaeorum, Hierosolyma profugorum, magni interfuit, ut, cum nova aedes in monte Garizim aedificata esset, in Pentateucho scriptum exstaret, aram in monte Garizim esse excitandam. Ex his rationibus ac consiliis repetendae sunt multae depravationes, quibus Sichemitani post conditam novam sectam Samaritanismi Pentateuchum adulterarunt [1]). Silentio non est praetereundum, Joa. Henr. Verschuir recte monuisse [2]) aram, quam Moses erigi jusserat [3]), nul-

1) Multa horum additamentorum ita comparata sunt, ut non nisi a Samaritis proficisci potuerint. V. 5. Deuteron. XI. 30 ࠌࠅࠋ• ࠔࠊࠌ• *versus Sichem*, post voces ࠀࠑࠋ• ࠀࠋࠅࠍࠉ• ࠌࠅࠓࠄ• *iuxta terebinthos more.*

2) In *Dissertat. critica, qua lectio codicis Hebraei — Deuteron.* XXVII. *defenditur* etc. in eiusdem *Dissert. philologico-exeget.* pag. 49. Adde ven. Guil. Gesenii *Commentat. de Pentateuchi Samaritani origine,* pag. 61.

3) *Deuteron.* XXVII. 5.

libi, nisi in monte Ebal excitari debuisse; quoniam caeremonia foederis Hebraeorum, cum Deo percussi, hoc in monte peracta fuit, seu, quod eodem redit, quia imprecationes adversus periuros in eo recitatae fuerunt. Quo argumento persuasus Joa. Dav. Michaelis, qui Kennicoti sententiam secutus erat [1]), eam deseruit [2]).

Quomodocunque est, satis patet, auctores Samaritanismi in horum locorum depravatione suis rebus consultum ivisse. Cum enim fieri posset, ut Judaei Hierosolymitani ex ipso Pentateucho docerent, Mosen haud obscure innuisse, templum Jehovae in confiniis Beniaminiticis esse excitandum [3]), Samaritani autem non viderent, quid huic argumento opponerent, praecipue cum inficias ire non possent, maiores suos Hierosolymam, festorum celebrandorum causa, commeasse atque in splendidissimo templo Sioneo rem sacram Salomonico aevo fecisse: ne idonea causa destitui viderentur, cur templum Garizimitanum per Sanballathum erigi curavissent, locum Deuteron. XXVII in suis libris corruperunt, et quo testatior lectio foret, quam libro obtruderant, Decalogum longo additamento ampliarunt.

Samaritani in Chronico memorant, tabernaculum sanctum in monte Garizim constitutum fuisse, post subactam ab Hebraeis Palaestinam. Quod a vera hi-

---

1) *Orientalische und exeget. Biblioth.* VI. 45.

2) *Mosaisches Recht* II. 5.

3) *Deuteron.* XXXIII. 12. Cur vetus huius loci explicatio deserenda sit, nullam videmus causam idoneam.

storia non omnino abhorret. Nam tabernaculum, Schilunie, in tractu Ephraimitarum, repositum, Sichemam advectum esse, cum Josua novissime, antequam supremum diem obiret, proceres Hebraeorum convocasset, non solum ex verbis colligitur, ויתיצבו לפני האלהים *steteruntque coram deo*, i. e. coram tabernaculo, Josua XXIV. 1. [1]), sed etiam paulo post versiculo 74 perspicue innuitur [2]).

---

1) Post Franc. Vatablum, Andr. Masium aliosque interpretes hanc explicationem secutus est eamque commendavit Guil. Alb. Bachiene, *Historische und geograph. Beschreibung von Palästina.* II. 3 pag. 339.

2) In *epistola tertia* ad Jobum Ludolfum apud Eichhorn. in *Repertor.* XIII. 283. Samaritani haec scripserunt de monte Garizim i. e. *super illo constitutum erat tabernaculum ibique offerebantur sacrificia diebus benevolentiae.* [illegible] Cuius *temporis gratiae* saepe mentionem fecerunt, e. c. Abul Phetachus in *Chronico anecdoto* conf. *Acta Eruditor.* 1691. pag. 168. Ab Sehuta in *epistola ad Joseph. Scaligerum*, apud Eichhorn. in *Repertor.* XIII. 263. Numerantur isti anni *Rezvan* seu *faventis numinis* a morte Mosis et a Josua, principatum inter Hebraeos tenente, A. 1631 ante Christum, decurruntque ad mortem Samsonis, *cum dissidentibus inter se Aaronis nepotibus Deus alienos populos quaereret.* Conf. Abul Phetachus apud Eduard. Bernardum in *Actis Eruditor.* 1691. pag. 168. Auctor noster Mopharredschius in sua ad Anglos epistola paucis attingit, Messiam *tempus* amissae illius *gratiae* reducturum, apud Eichhorn. in *Repertor.* IX. 33.

CAP. VI.

Illustratio sinceri dogmatis Messiani Samaritanorum.

Cur Samaritanismi conditores dogma Messianum, a vatibus Judaeorum propositum et enarratum, cum cetera placita Hierosolymitanorum reiicerent omnia, non repudiaverint, vix intelligeremus, nisi Mopharredschius, epistola Thomae Marshalli Angli permotus, aliquot Pentateuchi loca indicasset, quae a Samaritanis de magno venturo propheta explicantur. Verum tamen cum nemo non videat, haec loca, isto fere excepto, qui Deuteron. XVII. exstat, de Messia enarranda non esse, et vix probabile sit, Samaritis, nisi dogma Judaeorum Messianum cognitum perspectumque habuissent, in mentem venisse, haec Pentateuchi loca de venturo magno Propheta enarrare: manifestum esse arbitramur, Samaritanos, cetera Judaeorum decreta damnantes, decreto de Messia carere noluisse, hanc forsan ob causam, quod in eo grata faustaque omnia posteris Abrahami promitterentur. Quare mirum non est, Samaritas, cum libros Psalmorum et prophetarum, in quibus singula Messiani dogmatis capita exposita sunt, reiicerent, diligenter versiculos et effata Pentateuchi investigasse, e quibus omnes istius dogmatis partes derivarent speciemque facerent, quod decretum Messianum a Judaeis non mutuati fuerint, sed illud in Pentateucho enarratum invenerint. Nemo autem mirabitur, Samaritas in hoc negotio sibi multum sumsisse multaque Pentateuchi loca secus, ac accipienda sunt, enarrasse. Vel hinc inde vetus Judaeorum dogma messianum ab eis adulteratum est, quamvis non

usque adeo audaciae processerunt, ut pristinam huius placiti indolem plane corruperint.

De origine et prosapia Messiae quid veteres Samaritani docuerint recentioresque doceant, nondum satis constat. In epistolis, ad Europaeos, a ducentis, et quod excurrit, annis ab eis conscriptis, de venturo magno propheta, a Deo per Mosen promisso, quidem loquuntur: sed de eius genere omnino nil memorant. Nec miramur, eos hanc rem silentio praeteriisse, quoniam in Pentateucho genus ortusque Messiae non descriptus est. Nulli autem dubitamus, quin Mopharredschius istum librorum Mosaicorum locum, a popularibus suis de genere Messiae enarratum, Anglis in epistola sua indicasset. Nam causa plane defuit, cur Samaritanos, quos in Anglia degere falsam sibi persuasionem induerat, hanc rem celaret, aut omnino eos in describendo dogmate Sichemitarum Messiano falleret. Quare verisimile videtur, Samaritanos hoc Christologiae caput intactum reliquisse hodieque silentio praeterire, forsan quod nefas ducerent, genus Messiae cum Judaeis Hierosolymitanis a Davide repetere. Verum tamen priscis Samaritis temporibus Christi persuasum fuisse, venturum Messiam genere Judaeum fore, ex evangelica historia facile colligas [1]).

Rabbini Messiam Samaritanum Josephi filium nuncupant: sed non solum nulla e libris dictisque Samaritanorum idonea testimonia ad probandam evincendamque hanc assertionem adducunt, sed etiam alias ob causas haec sententia gennino Samaritano dogmati re-

1) Joan. IV. 42. Conf. et versiculos 29. 39. 41.

pugnare videtur. Nam si Samaritae docerent, magnum venturum prophetam e stirpe Josephi originem esse tracturum, non videremus, quae causa Mopharredschium impulerit, hanc rem Anglicanis Samaritis reticere, quam omni Samaritano nomini summo honori esse videret, praecipue cum idem ille oblitus non sit, paulo post asserere, tradi a Samaritanis, Messiam Sichemae sepultum iri. Nullus omnium Samaritanorum, quotquot ad Europaeos litteras dederunt, asseruit, fore, ut magnus venturus propheta originem a Josepho trahat, ac ne tunc quidem hac de re, mentione dignissima, locutus est, cum totus in eo esset monstrare, quantum in omnibus rebus Samaritani Judaeis praestent.

Samaritae, ut hac in re sinceros se Mosaismi sectatores praestiterunt, credere satius ducentes, prophetam a Deo per Mosen promissum, esse venturum, quam de eius origine disceptare: ita miramur, eos in tradendo huius prophetae nomine a Pentateucho recessisse. Ab Sehuta enim, sacerdos Samaritanus, in prima ad Joseph. Scaligerum epistola ait [1]: [Samaritan text] i. e. *De Messia interrogasti: nomen eius apud nos aliud non est, nisi Haschhab, nec quisquam praeter Dominum adventum eius novit.* Huic similem responsionem nuper Salama, sacerdos Sichemitanus, Gallis misit, ad eos scribens: „Das was ihr uns sagt den Propheten Hathab betreffend: so ists, wie ihr es sagt. Jehova sagte zu Mose:

---

1) Apud Eichhorn. in Repertor. XIII. 265.

ich will euch erwecken aus der Mitte eurer Brüder einen Propheten, wie du. Es ist ein grosses Geheimniss, das Wort von Hathab, welcher kommen und seinen Geist offenbaren soll. Wir werden glücklich seyn, wenn er kommen wird" etc. [1]). Voces, *das Wort von Hathab*, quid sibi velint? haud assequimur: magni tamen momenti videntur. Siquidem interpres germanicus commentarii Sacyani in vertendis his vocibus, quemadmodum speramus, hallucinatus non est: suspicamur, litteras Salamae hoc in loco obscuritate quadam laborare. Si vero scripsit اسم الهطب omnia bene se habent et vertendum est: *Nomen Hathab* (vel secundum aliam pronunciationem *Haschab*) *magnum est mysterium.* Haec autem verba bifariam possunt enarrari: vel, hoc nomen magnum est mysterium, quod reticemus, tam multis ex nostratibus, quam extraneis: vel, quod ita obscurum est, ut, quid sibi velit, nosmetipsi nesciamus. Utram expositionem praeferas, res ambigua et impedita erit, quoniam Mopharredschius, dogma Messianum secundum fidem librorum superstitum Samaritanorum enarrans, huius nominis nullam mentionem fecit. Hanc ob causam suspicamur, nomen Hathab in libris Samaritarum non occurrere, sed in ore traditionibusque Samaritanorum tanquam commentum istius generis vivere, ex quo ex-

---

1) *Mémoire sur l'état actuel des Samaritains par Sylvestre de Sacy, Paris* 1812. Cuius commentarii exemplo cum careremus, translatione germanica usi sumus, quae exstat in ven. Ludov. Wachleri *Theologischen Nachrichten* 1813 pag. 356—405. Locum, supra laudatum, quaeras pag. 394.

positionem Samaritanorum quorundam vocis שילה esse, capite primo huius disputatiunculae diximus. Fieri autem potest, ut Samaritae vim et significationem vocis Haschab hodie nesciant. Nam Salama cum nullus dubitaret; hoc nomen, vel tremendum vel obscurum, cum Gallis communicare, eiusdem interpretationem aut explicationem, si eam novisset, non videtur reticuisse. Causa vero, cur Samaritani illud nomen excogitaverint, in promtu est. De Messia locuturi aut scripturi noluerant ista voce uti, quae in Pentateucho non exstat, quamvis eam, una cum significatione nova, quam Judaei ei substraverant, haud ignorarent, ut ex historia, colloquio Jesu cum muliere Samaritana, ex epistola Ab Sehutae ad Joseph. Scaligerum et Salamae ad Gallos satis patet. In nomine efferendo et in genere Messiae tradendo Samaritae erant difficiles, in re autem cum Judaeis consentiebant.

Samaritani veteres Messiam nullum, nisi eundem illum exspectasse, quem Judaei exspectant, nullum igitur neque tempore priorem, neque posteriorem, neque dignitate rerumque gerendarum gloria Judaico Messia vel minorem, vel maiorem, non solum ex eodem colloquio Jesu cum Samaritana muliere colligitur, in quo nullum plane vestigium de peculiari Samaritanorum Messia deprehenditur, sed etiam ex testimonio Mopharredschii, qui candide profitetur, primam litteram nominis venturi magni prophetae esse ࠔ. Dubium autem de efferendo hoc nomine *Salama* ante hos quatuordecim annos prorsus dispulit, dicens: Samari–

tanos nomen venturi prophetae, a Deo per Mosen promissi, haud perinde nosse, ac Rabbinos [1]).

Quae cum ita sint, Samaritanisque nunquam in mentem venerit, asserere in litteris, inde a duobus seculis ab eis ad Europaeos conscriptis, se peculiarem atque a Messia Judaeorum plane diversum Messiam exspectare, Rabbinique sua de Messia Samaritano asserta nullis plane, ne dicam idoneis, testimonis probaverint: manifestum est, Messiam Samaritanum, Josephi filium, commentum esse Judaeorum aeque ac totum eorundem placitum de Messia Samaritano, qui cum Samaritas vel nomen vocemque Messiae evitare fugereque audirent, nec ignorarent, genus originemque Messiae ab eis silentio praeteriri ipsiusque ortum Davidicum quasi negari: commodam occasionem, idoneo

1) Salama ait: „*In Betreff dessen, was ihr uns sagt von den Propheten von welchem Jehova durch seinen Diener Mose gesprochen hat: so wisset, dass wir gewisse Wunderzeichen haben, an welchen wir ihn erkennen werden, wenn er sich offenbaren wird. Wir kennen seinen Namen ganz so, wie ihn die Rabbinen benennen.*" Sylv. de Sacy apud Lud. Wachlerum *theolog. Nachr.* 1813. pag. 594. Dolemus, nuperrimum Sichemitarum et Gallorum litterarum commercium nondum in lucem editum esse. Occasione enim privati sumus, de signis Messiae, quorum Salama obiter in commentario Sacyano mentionem fecit, prolixius disputandi, hanc partem Christologiae Samaritanae cum Hierosolymitana iuxta Matth. XI. 2 sqq. Joan. VII. 31 etc. conferendi et alia via, atque ea, quam paulo post ingredi coacti erimus, docendi, libros Samaritanorum superstites, e quibus Mopharredschius dogma Messianum enarravit, vetustissimae originis esse.

argumento asserendi, non praetermiserunt, Samaritanos alium, atque se, Messiam exspectare. Cum igitur monstrandum definiendumque sibi proponerent, quid de Messia Samaritanorum statuendum et tradendum sit: eo audacius hunc Messiam Samaritanum, filiumque Josephi vocarunt eumque a suo Messia distinxerunt, quo minus eos fugeret, Samaritas de Josepho progenitore maxime gloriari, quibus impiis scilicet exosisque templi Hierosolymitani desertoribus librorumque sacrorum contemtoribus, quoad eius fieri posset, commoda e manibus extorquere aggressi sunt, quae eos non fugeret, per Messiam suum, Davidis filium, in omnes populos esse redundatura.

Discussis profligatisque Rabbinorum de genere Messiae Samaritani commentis et placitis, quae diu multumque viros doctissimos deceperunt, testimoniisque ipsorummet Samaritanorum, fide dignis, adductis, ex quibus extra omne dubium positum est, hunc populum, aeque ac Judaeos, Messiam exspectare et docere: superest, ut nostram sententiam de locis Pentateuchi dicamus, e quibus, teste Mopharredschio, Samaritae suum decretum Messianum derivant et probant.

Mopharredschius laudat loca Genes. XV. 17. [1])

---

1) Conf. ad h. l. Jacobi Bonfrerii *Comment. in Pentateuch*, sane non contemnendus.

XLIX. 10. [1]) Numeror. XXIV. 17. [2]) Deuteronom. XVIII. 15. [3])

---

1) Recentiores Samaritas, nisi omnes, certe plurimos, non integrum istum locum de Messia accipere, sed vexatam vocem שילה de Solimane Persa enarrare, supra docuimus. Quid priscis Samaritis de exponenda hac voce visum fuerit, verisimile quidem videtur, sed argumentis idoneis probar non potest.

2) Hunc locum et Onkelos Chaldaeus de Messia enarravit.

3) Interpretes Judaei Salomo Jarchi, Bechai, Aben Esra, Abarbanel et alii hunc locum de prophetis, populo Judaico post Mosen nunquam defuturis, enarrant, vocemque נביא, in singulari numero positam, pro נביאים in plurali capiunt, eamque de Josua, Samuele, Jeremia aliisque prophetis exponunt. Sed huic explicationi locus Deuteronom. XXXIV. 10. omnino obstat. Vis vocis vexatae כמוני ex locis Numeror. XII. 6. 7. 8. satis cognoscitur. Huic significationi, uti decet, inhaerentes Judaei Christi temporibus, hunc locum de Messia exposuerunt, uti patet ex Joan. I. 45. Jesusque eum de se enarravit, Joan. V. 45. 46. 47. Igitur non videmus, quare multi interpretum Christianorum hodie Jarchio suffragentur, cum nemo facile eat inficias, non sine idonea causa in hermeneutica sacra praecipi, verba S. Scripturarum significare id, quod significare possunt. Dum isti autem interpretes testimonium hoc Pentateuchi de Messia tollere satagunt, artem hermeneuticam et criticam infringunt. Quare enim Moses, vir, si quis alius, summo ingenio praeditus, in animo non praesensisset, futurum, ut sui instar doctor ac magister ad erudiendos sublimiore doctrina posteros veniat? Aut, si vel maxime iste locus, qui utique cum iis, quae eum antecedunt, non cohaeret, textui obtrusus, serius tempus, vaticiniis de venturo

Longe abest, ut eum ad haec Pentateuchi loca provocantem vituperemus, ut potius eius studium ac operam, quam in exponendo describendoque popularium suorum dogmate Messiano navavit, maxime probemus animique sinceritatem eius meritis laudibus extollamus, quod non reticuerit, haec effata a suis de Messia enarrari. Ex eius enim disputatiuncula non solum novimus, quam viam rationemque Samaritae recentiores in interpretando Pentateucho sequantur, eosque Carraeis, ut nonnullis visum fuit, accensendos non esse: sed etiam quod in libris suis superstitibus nobilissima Christologiae Judaicae capita, post elapsa tot secula, ubi primum Judaeis Hierosolymitanis se opposuerunt, summa fide servaverint, licet, quemadmodum fieri solet in historiis dogmatibusque, quae, antequam litteris mansuris exscribuntur, ex traditione narrantur, vestigia corruptelarum, iuxta dogmata vicinarum gentium institutarum, non desint, quorum quaedam supra indicavimus. Uti autem Thomae Marshallo, Anglo, maximae grates debentur, quod maturo consilio Samaritis in epistola tales iuterrogationes proposuerit, ex quorum responsionibus non poterat theo-

---

Messia exhilaratum, sapere videretur: haud assequimur, quid obstet, quominus iuxta sensum grammaticum accipiatur? Nemo enim non videt, Mosi, conditori peculiaris, et, ut ita dicam, privatae religionis, utilitati Judaeorum solummodo inservituræ, aequiparandos non esse prophetas, huius religionis strennos assertores, sed eximium illum doctorem, fundamentis, a Mose iactis, superstruentem totum terrarum orbem beaturam religionem, Christianismum scilicet seu Universalismum.

logicis dogmatibus nova lux non accendi: ita iisdem litteris gratulamur, quod Samaritani tunc temporis Mopharredschium summum sacerdotem habuerint, huncque unum delegerint, qui ad Marshalli epistolam responderet. Huius igitur viri consilio institutoque accurate expenso, existimamus, ei propositum fuisse, ex loco Genes. XV. divinum Messiae ortum ac originem: ex loco Genes. XLIX. regni eius magnitudinem: ex loco Numeror. XXIV. eius victorias: atque ex loco Deuteronom. XVIII. munus eius doctoris ac legislatoris, nobilissima igitur totius Christologiae capita, describere.

Hucusque Mopharredschium in examinanda illustrandaque Christologia Samaritarum magna cum voluptate secuti sumus eiusque testimonio freti, quod nuper in plurimis locis a Salama, summo Sichemitarum pontifice, confirmatum est, sincerum genuinumque Samaritanorum decretum Messianum a corruptelis, placitis seu potius commentis et nugis Rabbinorum vindicavimus integritatique suae restituimus. Ceterae autem Messiani Samaritarum decreti partes, quae idem Mopharredschius cum Anglis communicavit, multis magnisque laborant difficultatibus, in quibus solvendis expediendisque idem eius animi candor, quam paulo ante extulimus, nobis viam praeibit.

Laudabili enim consilio diremit secrevitque dogmatis Messiani ista capita, quae a popularibus suis e Pentateucho deducuntur et probantur, ab iis, quae doctores Samaritanismi secundum fidem librorum superstitum tradunt.

Quorum placitorum duplex est ratio. Una Mes-

siano decreto Hierosolymitano ita est consentanea, ut nullum dubium supersit, unde partes sententiaeque huc spectantes originem traxerint: alterius autem praecepta a Christologia Judaeorum adeo discrepant, ut appareat, vel primos Samaritanismi conditores vel serioris temporis doctores ea excogitasse dogmatibusque maiorum inseruisse.

Huc spectant ea, quae Mopharredschius de libris Mosaicis tradit, quos, ubi magnus propheta venerit, omnes terrarum gentes sint accepturae. Ex his satis constat, Samaritas decreti maiorum, Pentateuchum spectantis, tenacissimos esse, quoniam, reiectis ceteris Hierosolymitanorum libris sacris, istud volumen quinquepartitum aevo Messiano lectum iri contendunt. Innunt igitur, quod rectissime ceteros Judaeorum libros reiecerint. Praeterea in litteris, ad Europaeos datis, reprehendunt et reprobant Judaeorum alphabetum seu scripturam, e. c. in epistola Samaritanorum Aegyptiorum ad Josephum Scaligerum: [illegible] غير [illegible] i. e. *congregatio nostra et consuetudines nostrae diversae sunt a congregatione et consuetudinibus Judaeorum: libri autem Judaeorum sunt ex scriptura Esdrae, maledicti in aeternum* [1]). In hunc fere modum et Ab Sehuta, Pontifex Sichemitanus, ad eundem Josephum Scaligerum scripsit: [illegible]

1) In Eichhornii *Repertor.* XIII. 273.

•ࠉࠃࠏ •ࠋࠊࠍ i. e. *Nunc vero notum vobis est; scripturam nostram esse scripturam hebraicam linguae sanctae* [1]. Idem Ab Sehuta sacerdos Josepho Scaligero promittit, dono missurum legem seu Pentateuchum, quem Samaritani non soliti sint vendere, ࠄࠒࠃࠔ •ࠁࠋࠔࠍ *in lingua sancta* [2]), quam paulo ante Mosis scripturam vocaverat [3]). Samaritae, quorum lingua a Chaldaica parum differt, nunquam, uti Judaei, Chaldaica scriptura, sed peculiari alphabeto usi sunt, cuius inventio ac usus tempora deportationis Babylonicae multo antecessisse videtur, ita ut forsan idem illud sit, quod antiquissimus auctor seu potius editor Pentateuchi in contexendo hoc libro usurpavit. Hoc alphabetum Cadmus in Graeciam invexit, φοινικήϊα γράμματα, iuxta Herodotum [4]), tempore, ut perhibent, Josuae. Quae, si a veritate non aliena sunt, non aliena autem esse videntur, apparet, Samaritas non sine causa Judaeorum scripturam carpere. Auctoritate Benjamin Tudelensis permoti, Judaei recentiores Samaritis quidem obiiciunt, quod litteras חהע non agnoscant: sed hoc commentum Josephus Scaliger dudum refutavit [5]), eiusque causam et occasionem Joannes Morinus monstravit, docens, Samaritas omnes gutturales litteras non aliter ac א pronunciare [6]).

---

1) Apud *Eundem in eodem volumine Repertor.* pag. 265.

2) Apud *Eundem ibidem* pag. 268.

3) Apud Eundem *ibidem* pag. 267.

4) *Histor.* V. 58. Adde, praeter alios, Tacitum *Annal.* XI. 14.

5) In *Opere de emendatione temporum libr.* VII. pag. 621. *Edit. Lugd. B.* 1598.

6) *Ecclesiae orientalis antiquitates*, p. 323. *Edit. Lips.* 1683.

Docent Samaritae, tempore Messiae futurum, ut omnes gentes in montem Garizim credant. Huc et ea spectant, quae de tabernaculo, eodem aevo rursus apparituro, atque in monte Garizim constituendo, praecipiunt. Judaeos impugnant, qui tradunt, omnes terrarum populos temporibus Messianis in monte Sione esse confluxuros, adoratum Jehovam.

Ne quis autem putet, Samaritas recentiores haec placita, post Christi nati tempora, excogitasse Messianumque decretum, a Samaritanismi primis auctoribus traditum, adulterasse: haud abs re erit, commodo exemplo probare, Samaritarum veteres libros, e quibus Mopharredschius dogma Messianum descripsit, cum Judaeorum istorum libris consentire.

Auctor libri secundi Maccabaeorum ex deperdito quodam libro [1]) refert, Jeremiam prophetam tabernaculum sanctum, arcam foederis et altare suffitus in cavernam montis Nebo intulisse huiusque specus ostium, ne a quoquam inveniretur, obstruxisse. Flavius Josephus ait [2]), impostorem quendam, nova in Romanos, Pontii Pilati procuratoris tempore, molientem, Samaritas convocasse seque eis vasa sacra, a Mose in monte Garizim abscondita, ostensurum promisisse. Ex Chronico Samaritarum Adrianus Relandus, nisi eandem, huic tamen simillimam, fabulam protulit, Pontificem Oziam, iubente Deo, vasa sacra in spelunca montis Garizim occultasse, quae deinde Samaritae re-

1) Cap. II. 4 sqq.

2) *Antiquitat.* XVIII. 5. *Colon.* pag. 623. *Haverc.* XVIII. 4. pag. 879.

petituri haud invenerint [1]). Relandus in originem istius fabulae inquirens, nomen Mosis apud Josephum quidem sollicitat eique ex libro Josuae Samaritano Oziam substituendum censet, sed frustra. Nam his in rebus satius videtur, fabulam ipsam expendere, quam de nominibus ambigere aut disceptare. Quae quidem fabula, si vetustae originis commendatione non destituitur, quemadmodum testimonia, in medium prolata, satis probant: dubium non est, descriptionem Messiani decreti, quam ex iisdem libris Samaritarum superstitibus Mopharredschius cum Anglis communicavit, in quibus fabula de vasis sacris in monte Garizim absconditis, perscripta est, maxime consonam esse decreto Messiano priscorum Samaritarum, ante Christi nati tempora. Verisimile videtur, fabulam istam, quam Judaei pariter ac Samaritae memoriae prodiderunt, illi de vasis sacris in monte Nebo, hi de sacris vasis in monte Garizim reconditis, ex uno eodemque fonte, scilicet ex traditione seu fabula potius Judaeorum, manasse, licet uterque populus suum montem subdere maluerit. Verum tamen nemo non videt, Samaritas impostori apud Josephum nullam fidem adhibituros fuisse, nisi fama vasorum sacrorum, in monte Garizim abditorum, dudum apud eos percrebuisset. Verum, ut fieri solet, credulitas hos pariter, atque illos, fefellit. Tabernaculum enim, quod Salomonem in templum intulisse constat [2]), siquidem ad eius destructionem incolume permansit, una cum eo a Nebu-

1) In *Dissertation. miscellan.* I. 155 sqq.

2) 1 Reg. VIII. 4. 2 Chron. V. 6.

cadnezaro combustum est. Cyrus autem, Persarum rex, postquam Judaeis in Palaestinam redeundi potestatem fecisset, Sesbazaro, horum duci, vasa sacra aurea et argentea, numero quinque millia et quadringenta, a Nebucadnezaro ablata, reddi jussit [1]). Quod cum Judaeos non fugeret, miramur, nihilosecius inter eos fuisse, qui Jeremiam vatem tabernaculum, arcam sanctam et altare suffitus in monte Nebo occultasse crediderint. Rursus Samaritae, qui in Chronico memorant [2]), Oziam, pontificem maximum, post trecentos sexaginta annos, quam Hebraei, ex Aegypto reduces, Palaestinam intrassent subactamque occupassent, vasa sacra in spelunca montis Garizim abdidisse, igitur temporibus Eli pontificis summi, seu potius Samuelis prophetae, vehementer errant. Hac enim tempestate cum nullum inter Judaeos et Israelitas dissidium intercederet, sed uterque populus communi lege ac religione teneretur, causa plane defuit, qua commotus Ozia vasa sacra abscondere debuerit. Ista quidem tempestate arca sancta Schilunte utique desiderabatur, quam Philistaei, cum aliis manubiis Hebraeorum abstulerant [3]): nihilosecius satis certum videtur, Hebraeos Schiluntem commeasse, Jehovam ibidem adorasse eique sacra fecisse. Inde autem patet, vasa sacra non abscondita fuisse. Nec Abul Phetachus, auctor alterius Chronici Samaritani, cuius exemplum Oxonii servatur, audiendus est, memorans, anno gra-

---

1) Esra I. 7 sqq.

2) Teste Adr. Relando *Dissertat. miscellan.* I. 151 sq.

3) 1 *Samuel.* IV. 17.

tiae ducentesimo sexagesimo densissimis tenebris oppressum esse tabernaculum in monte Garizim, Ozia pontifice valde obstupescente [1]). Nam satis constat, Salomonem tabernaculum, arcam sanctam et vasa sacra in templum Sioneum intulisse.

Quomodocunque est, superstruxerintne Samaritae fabulis illis, sive opinioni, quod deficiente tabernaculo Mosaismus integritati suae restitui non possit, placitum a Mopharredschio cum Anglis ex libris superstitibus communicatum, Messiam sacram scenam absconditam in lucem protracturum, eamque monti Garizim impositurum, sive aliis, quae ignoramus, Samaritanismi dogmatibus: palam est, originem huius sententiae a temporibus esse repetendam, quibus Samaritanismus certis ac perpetuo duraturis decretis inclusus, Judaismo oppositus fuit. Hac enim tempestate sive traditio aut fabula, sive causa idonea affuisse videtur, quae Samaritas adegit, praecipiendi, magnum venturum prophetam tabernaculum monti Garizim esse impositurum. Nam nemo non videt, sectatoribus Samaritanismi, postquam haec religio in formam peculiarem corpusque, quod dicunt, doctrinae redacta esset, haud licuisse, in alias partes abire, dogmataque a maioribus praescripta et sancita aut adulterare, aut novis ampliare.

Superest, ut de morte Messiae secundum Samaritarum decretum Messianum disseramus.

Quamquam Rabbini Messiam eum, quem secundum sua placita, Samaritanum filiumque Josephi appellant,

1) *Acta Eruditorum A.* 1691. pag. 168.

moriturum tradant, nihilosecius nulli dubitaremus; quoniam de eius morte in Pentateucho nil perscriptum est, eos et hac in re mendacii accusare, nisi ipsimet Mopharredschius, testimonio fide dignissimo, extra omne dubium posuisset, a Samaritanis fore praecipi, ut magnus venturus propheta moriatur Sichemaeque sepeliatur.

Rursus ex eiusdem Mopharredschii disputatione satis constat, placitum de Messiae morte ex Pentateucho a Samaritis haud probari. Nam huius viri candor animique sinceritas facit, ut nullum dubium sit, quin Samaritas Anglicanos, ad quos scribere sibi visus est, de loco istius libri certiores fecerit, quem sciret, a Sichemitanis suis de morte Messiae enarrari.

Cum igitur placitum de Messia morituro Mopharredschius decretis seu potius placitis illis addiderit, quae a doctoribus Samaritarum vel tradi, vel in eorundem libris superstitibus contineri ait, Samaritanumque dogma Messianum ab auctoribus Samaritanismi decreto Messiano Judaeorum, a quibus oriundi erant et desciverant, superstructum esse, extra omne dubium positum sit, quo quidem Judaeorum priscorum dogmate Messiano et decretum de Messiae morte contineri gravissimae, varie quidem tentatae, sed vix unquam concutiendae ac labefactandae causae et argumenta adsunt: consequitur, Samaritas Judaeorum decretum de Messia morituro in suam Christologiam transtulisse, cumque illud e Pentateucho probare non possent, eo autem (nescimus, quam ob causam et num eam satis perspexerint?) carere nollent, forsan quoniam Samaritanismo non repugnaret, hoc Christologiae placitum ad opi-

niones et sententias Samaritanorum sapientum reiecisse. Cum enim causa omnino destituerentur, qua commoti Messiam mortem oppetiturum praeciperent, multo probabilius est, eos hoc decretum Judaeorum, ne quid Christologiae suae deesset, fideliter retinuisse, quam hos vetus suum dogma Messianum secundum placita perfugarum exosorumque Samaritarum adulterasse.

Rursus Samaritae culpandi sunt, quod in exponendo hoc Christologiae capite a corruptelis sibi non temperaverint. Etenim commento illud adulterarunt, Messiam Sichemae, quantum coniicere licet, pone sepulchra Josuae, Calebi, Eleazari, Ithamari, Pinehasi et Septuaginta Seniorum sepultum iri. Hoc nusquam in Pentateucho, ut neminem fugit, perscriptum est. Vix igitur dubium est, quin, quemadmodum Judaei Hierosolymitani toti in eo essent, ut Samaritis Messiam eriperent: hi, magnum venturum prophetam, vita functum, ut sibi vindicarent, praeceperint, eum Sichemae sepultum iri.

Non possumus calamum de manu deponere, quin valde optemus, ut Europaei, quorum quidem intererit, litteras ad Samaritas dandi (occasio autem his temporibus saepe redit) interrogationes eiusmodi, ex quorum responsionibus sperari licet, lucem fructumque haud contemnendum in historiam religionis dogmatum redundaturum esse, eis proponant, ut ex ipsorummet Samaritarum testimoniis accurate cognoscamus, quid de singulis religionis dogmatibus hodie statuant? Multo magis autem optamus, ut Europaei, in Palaestina vel degentes, vel peregrinantes exempla veterum librorum, quibus Samaritae in negotio reli-

gionis utuntur, vel nanciscantur, vel accurate describi curent, antequam huius populi nomen, ad paucos iam redactum, plane intereat. Quod quantae utilitati futurum sit, ut vera genuinaque dogmata Samaritanismi accuratius cognoscantur, cum Judaeorum decretis comparentur, Rabbinorum commenta de rebus dogmatibusque Samaritatum refellantur, multaque dubia seu errores circa historiam Samaritarum tam in Asia, quam in Africa, immo, secundum eos, et in Europa dispellantur et corrigantur, longa non eget oratione.

APPENDICULA

DE COLUMBA DEA SAMARITARUM.

Maimonidem retulisse supra diximus, doctores Judaeos tempore R. Meier, praeceptoris R. Judae Hakkadosch, quem Mischnam conflasse perhibent, simulacrum columbae in monte Garizim invenisse indeque eos collegisse, Samaritas idola adorare [1]). Sed cum Samaritanismus post ducentos fere annos, quam Judaei, potestate a Cyro Persarum rege eis data, ex Babylonia in Palaestinam redeundi, originem duxisset, Judaeorumque illi Samaritanorum nomine distingui coepissent, qui ob rem uxoriam, vel comesi illiciti cibi, vel similis delicti causa, Hierosolymis rei acti, in Samariam confugerant, hos autem nunquam idola adorasse satis constet: apparet, siquidem doctores Maimonidis statuam columbae in monte Garizim invenerunt, Samaritas, a Judaeis oriundos, eam non coluisse.

כותים *Samaritae* illarum gentiam colluvies, a Judaeis vocata est, quam Salmanassar Assyriae rex, postquam Samariam, terrae caput, cepisset et diruisset plurimosque Israelitas in regnum suum deportasset, cu-

---

1) Conf. Samuel. Bocharti *Hierozoic.* II. 6. *Edit. Francof.* 1675, qui et alia Rabbinorum testimonia profert.

stodiae praesidiique causa in Israelitidis derelictos vicos et oppida miserat, variis superstitionibus deditam [1]). Sed et horum barbarorum posteros, postquam, reversis ex Chaldaea Judaeis, cum Samaritis, genere vel Israelitis, vel Judaeis, in corpus unius populi coaluissent, idololatriam suorum maiorum abiecisse et Mosaismum amplexos esse, tam ex Josephi de idololatria Samaritanorum silentio, quam ex Novo Testamento colligitur, in quo nusquam proditum est, Samaritas Deos adorasse, quamvis occasio, haec paucis memorandi, non defuerit.

Fidem quidem tribuimus doctoribus Judaeorum apud Maimonidem, quod signum columbae in monte Garizim invenerint: sed omnino negamus, Samaritas tempore R. Meier columbam adorasse. Cur enim isti doctores ausi non sunt asserere, se vidisse Samaritas, columbae deae rem sacram facientes? Se conspexisse omnem divini cultus apparatum, aram, sacerdotes, victimas? Quae quidem res ita comparatae sunt, ut mirum sit, sapientes istos, religionem Samaritarum exploratum missos, eas reticuisse. Quare cum nihil retulerint, praeterquam quod signum columbae in monte Garizim viderint, hoc nobis perinde videtur, ac si quis Christianos idololatras appellaturus esset, quoniam ab eis in splendidissimis Museis Romanis, Parisinis, Dresdensibus, aliisque, signa deorum dearumque Graecorum et Romanorum summa cum cura serventur.

Adrianus Relandus fidei doctoribus istis Judaeo-

1) 2 Reg. XVII. 30 sqq.

rum multum tribuens, ex Chronico Samaritarum refert [1]; Romanos in monte Garizim avem aeneam, scilicet columbam, iuxta solis cursum se convertentem instar telesmatis erexisse, quae, si quis Samaritanus montem ascensurus fuisset, clamaverit, Hebraeus! Pluribus igitur non opus videtur, ut testimonio sapientum apud Maimonidem fides adhibeatur, quod signum columbae invenerint.

Quid vero de Samaritae anonymi testimonio statuendum sit, paucis dispiciamus.

Jam hic auctor anonymus nemini facile persuadebit, Romanos monti Garizim, ut indigenas abigerent, columbam aeneam imposuisse. Satis quidem constat, Veteres solitos fuisse, animalium arcendorum causa, telesmata erigere, scorpios, serpentes, ciconias figurasque aliorum animantium. Sed Romani ii non erant, qui, ubi mons custodiendus praesidioque firmandus erat, telesma erigere, excubiarumque agendarum gratia in eiusmodi signum cavum milites immittere maluissent, commissantes aut dormientes commilitones, cum hostis appropinquaret, ad arma cituros. Auctorem Chronici Samaritani pudere non debebat, de idololatria extraneorum, ex Syria, uti videtur, in Samariam deportatorum, accurate ea exponere, quae aut ex traditione maiorum, aut ex libris monumentisque vetustis de Cuthaeorum religione ac deis ei innotuerant, hacque occasione, ubi opus videbatur, ostendere, quam alieni

1) *In Dissertat. miscellan.* I. 147 sqq. Ante Relandum huius fabulae meminit Jo. Henr. Hottinger, *Exercitat. Antimorin.* pag. 116.

Israelitae post excidium Samariae in patriâ superstites a barbarorum superstitionibus fuerint. Sed si fama ad eum pervenit, ex Assyria olim colonos in Samariam missos fuisse, forsan opinatus est, et Israelitas, maiores suos, religionem advenarum Assyriorum amplexos esse, qui cum indigenis Samaritae [1]), a Judaeis autem, ut modo diximus *Cuthaei* appellabantur, forsan propterea, quod maximam partem ex Cutha Sidoniorum [2]) oriundi erant. Uti autem istos colonos in Samaria quoqne deos suos patrios coluisse scimus, Cuthaeos Nergalem, Chamatenses Asimam, Avaeos Nibchasum et Thartacum, Sepharphaimaeos Adramelechum et Anamelechum [3]): ita indicia vel vestigia desunt, indigenas Israelitas antiquam maiorum religionem deseruisse, aut eam cum superstitionibus barbarorum miscuisse. Inde patet, quomodo locum 2 Reg. XVII. 32. 33. 41. capiendum censeamus: *istae gentes coluerunt Jehovam simulque adorarunt idola.* Indigenae Jehovam colebant, extranei deos suos patrios. Cum vero leones in Samaria praevalescerent, quoniam abducta incolarum multitudine haec terra fere deserta esset:

---

1) Samaritae semetipsos vocant ࠔࠌࠓࠉࠌ *Samaraeos* hocque nomen deducunt a ࠔࠌࠓ *custodivit*, quod legem Mosis observent. Conf. Cphori Cellarii *Dissertat. academ.* pag. 109. Silvestri de Sacy commentarius *de Samaritis* apud Ludov. Wachlerum *Theolog. Nachrichten* 1813. pag. 360. Reiiciunt igitur nomen שמרנים 2 Reg. XVII. 29. eiusque etymologiam a שמרון 1 Reg. XVI. 24.

2) Joa. Dav. Michaelis ad 1 Reg. XVII. 30. 31.

3) *loco modo laudato,* 1 Reg. XVII.

Samaritae a rege Assyriorum petierunt, ut sacerdos ex Assyria remitteretur, qui colonos cultum Jehovae doceret. Re impetrata, leones non multo post, sine dubio alias ob causas, quas ignoramus, incolas infestare desierunt.

Ctesias apud Diodorum Siculum refert [1]), Assyrios columbas coluisse, propterea quod Semiramidem post eius mortem in columbam transformatam crediderint. Potuit igitur fieri, ut Babylonii, in Samariam profecti, hanc superstitionem in novam patriam transferrent signumque columbae in monte Garizim excitarent. Nam eos hoc signum instar monumenti erexisse, quo doceretur, hanc terram ab Assyriis ditione teneri, verisimile quidem videtur, sed affirmare non ausim.

---

1) *Biblioth. histor.* II. 20. *Ἔνιοι δὲ μυθολογοῦντές φασιν αὐτὴν (Σεμίραμιν) γενέσθαι περιστεράν, καὶ πολλῶν ὀρνέων εἰς τὴν οἰκίαν καταπετασθέντων, μετ' ἐκείνων ἐπετασθῆναι· διὸ καὶ τοὺς Ἀσσυρίους τὴν περιστερὰν τιμᾷν ὡς θέον ἀπαθανατίζοντας τὴν Σεμίραμιν. Sunt qui in columbam conversam* (Semiramidem) *fabulentur: compluribus enim avibus in palatium eius delapsis, una cum illis avolasse creditur. Et hinc factum, ut Assyrii, dum Semiramidem diis immortalibus accensent, columbam pro deo honorent. Edit. Eichstädt.* I. 222. Hierapolitani in Syria eidem addicti erant superstitioni, teste Luciano: *Περιστερὴν δὲ μούνην οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσι ἥδε ἱρή. Columba sola non vescuntur, sed est ea illis sacra. De dea Syria* cap. 14. *Edit. Bipont.* IX. 96. Idem Lucianus in templo Hierapolitano tria Semiramidis signa invenit: in vertice unius, quod nulla parte aliis imaginibus simile anonymonque fuisse dicit, vidit stantem columbam auream, *quam ob causam Semiramidis esse simulacrum illud fabulantur l. c.* pag. 118. 119.

Licet vix dubium sit, quin Assyrii advenae statuam columbae in monte Garizim erexerint eamque coluerint, quoniam Samaritae pariter ac Judaei de superstitione ista loquuntur, cuius vestigium vel ad nostra usque tempora in turture illo, qui Pentateucho in templo Sichemitano praefixus est, permansisse et penetrasse videtur: nihilosecius nondum exploratum est, num in vetere indiculo extraneorum deorum 2 Reg. XVII. 30 sqq. nominis deae columbae facta sit mentio, et si eiusdem nominis mentio facta est, quodnam illud sit, num אשימה vel aliud? Si auctor anonymus Chronici Samaritarum nugatus non est, scribens columbam Garizimitanam iuxta solis cursum se convertisse et locutam esse: maxima inter signum huius avis deique Avaeorum Nibchas intercessit similitudo. Nomen נבחז *canem latrantem* significare, Judaei recentiores ex traditionibus maiorum dudum quidem docuerant [1]) sed quid utilitatis ex etymologia ista in sacrarum scripturarum illustrationem redundet, nemo vidit, donec CONR. IKENIUS ex repertis celeberrimorum periegetarum THEVENOTII, LA ROCQUII et PAULI LUCAE hanc rem felicissime explanaret [2]). Isti enim peregrinatores in Syria, non longe a fluvio Lyco, quem hodie نهر الكلب *fluvium canis* appellant, in mare praecipitatam statuam canis lapideam invenerunt, magnitudine equo non inferiorem, sine capite, quod Phacradinus Emir amputari Vene-

1) Tractat. Sanhedr. fol. 62.

2) In Dissertat. philologico-theologicis pag. 143 sqq. IKENIO assensi sunt praeter alios duumviri praestantissimi JOA. DAV. MICHAELIS in *Supplem. ad Lexica hebr.* et GUIL. GESENIUS in *Lex. hebr.* sub hac voce.

tiasque dono mitti jusserat. In ventre signi Paulus Lucas quadratum foramen invenit, satis amplum, ut ab uno homine subiri potuerit. Quem canem hodieque fama est, antequam ab excelsa rupe, cui impositus erat, deiectus esset, immani latratu accolis nunciasse, si quid periculi immineret. Fieri igitur potuit, ut Cuthaei signum columbae in monte Garizim similem ob causam excitaverint, horumque sacerdotes, commenti gnaros, gemitu aut loquela statuae id effecerint, quod sacerdotes Nibchasi, vel quicunque fuerint, signo latrantis canis effecerunt.

Quomodocunque est, si quid fidei auctori anonymo Samaritano tribuendum videbitur, necesse erit, ut et sapientes apud Meimonidem audiantur, dicentes, quod signum columbae in monte Garizim invenerint. Uti autem istos doctores vituperamus, quod Samaritas suorum temporum abiecti veteris derelictique signi causa idololatriae accusaverint: ita multo magis Aben Esrae impudentia castiganda Judaeorumque recentissimorum stultitia explodenda erit, quoniam ille haud erubuit comminisci, in codice Samaritano scriptum esse: בראשית ברא אשימה את־השמים *in principio creavit Aschima caelum* etc. [1]): hi autem vel hodie fabulantur, Samaritanos, fidelissimos Mosaismi cultores, turturem eum adorare, quem ex argento conflatum virgae impositum scimus, circa quam exemplum Pentateuchi evolvitur, quo pontifex maximus Samaritanus in templo — sacellum autem est angustum et humile — uti solet. Quae criminatio quam stulta sit, ex eo

1) In *praefatione in librum Esther*, volumine 7. Biblior. rabbin. Joa. Buxtorfii.

intelligi potest, quod Judaei hinc inde, praecipue in Oriente, eandem ob causam coronas aureas bacillis Pentateuchi imponere soliti sint, Samaritis autem nunquam in mentem venerit, eos accusare, quod coronas istas adorent.

Igitur si accurate inter Samaritas tam indigenas, Judaeosque, Mosaismi sectatores, ad eos transfugas, quam advenas colonosque ex Assyria missos, prout decet, distinguas: non solum vexatissimum dubium de columba dea, a Samaritanis culta, optime solves sed etiam apparebit, quid de Flavii Josephi indicio, Samaritanos temporibus callide inserviisse, statuendum sit, cum de eis scribit: οἳ πρὸς μεταβολὴν καὶ συγγένειαν ὅταν μὲν εὖ πράττοντας βλέβωσι τοὺς Ἰουδαίους συγγενεῖς ἀποκαλοῦσιν, ὡς ἐξ Ιωσήπου φύντες, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐκεῖθεν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἔχοντες οἰκειότητος· ὅταν γὲν πταίσαντας ἴδωσιν, οὐδαμόθεν αὐτοῖς προσήκειν λεγουσιν, οὐδ' εἶναι δίκαιον οὐδὲν αὐτοῖς εὐνοίας ἢ γένους, ἀλλὰ μετοίκους ἀλλοεθνεῖς ἀποφαίνουσιν ἑαυτούς. *Qui mutationis gratia et cognationis cum res Judaeis prospere evenire videant, cognatos se eorum appellant, utpote a Josepho oriundos, et inde cum eo origine coniunctos: cum vero illos in malis versari conspiciant, tunc se nihil ad eos pertinere dicunt, nec quidquam iuris sibi cum illis intercedere, aut ex benevolentia aut ex consanguinitate, sed inquilinos esse ex alia gente prae se ferunt* [1]).

---

1) In *Antiquitat.* IX. 14. *Colon.* pag. 326. *Haverc.* pag. 508. Conf. et *Antiquitat.* XI. 8. pag. 386 et 582 Colon. et Haverc. XII. 7. *Colon.* p. 410. et Haverc. XII. 5. p. 610.

tiasque
Lucas
ab uno
que fam
erat, d
ciasse,
ut Cutha
lem ob
commen
rint, qu
signo la
Qu
mo Sam
et sapie
quod sig
Uti aute
suorum
causa id
Esrae i
simorum
erubuit
se : מים
Aschima
tur, San
turem e
gae imp
teuchi e
in templ
— uti s

1) In *p*
bin. J

ERRATA.

Pag. 19. lin. 7. legas: [illegible] lin. 9. [illegible] lin. 11. [illegible] lin. 12. [illegible] in eadem lin. وينصب pag. 21. lin. 8. Modadi. pag. 75. lin. 1. eam. pag. 36. lin. 3. his. pag. 47, nota 1. lin. 2. Coloniens. sed potius. pag. 48. lin. 21. Samaritae mox vires refecerunt, ut. pag. 51. lin. 27. [illegible] lin. 28. [illegible] pag. 52. lin. 1. [illegible] pag. 54. lin. 6. Mischnae. lin. 16. infodentis. pag. 56. lin. 13. [illegible] lin. 14. [illegible] lin. 16. [illegible] lin. 17. [illegible] lin. 21. [illegible] lin. 22. [illegible] pag. 58. nota 1. lin. 4. [illegible] pag. 60. nota 2. lin. 5 post [illegible] exciderunt voces [illegible] [illegible] pag. 63, lin. 21. [illegible] in eadem l. [illegible] pag. 65. lin. 13, historia evangelica, scilicet ex colloq. pag. 71. lin. 70. [illegible] et in ead. lin. [illegible] lin. 21, [illegible] pag. 73. lin. 1. [illegible] pag. 73. lin. 14. istorum temporum libris.

